

HENRICI MARTINII DANTISC.
ANATOMIA URINÆ
GALENO-SPAGYRICA
cum
ARTE PRONUNTIANDI EX URINIS ET
CÆSARIS ODONI DE URINIS



Francofurti.
Sumptibus Georgii Fickwirthi 1650.


BIBLIOTECA N
ROMA
VITTORIO EMAN

In Nomine Archiatri Summi

HENRICI MARTINII DANTISCANI

Doctoris Medicinæ

ANATOMIA URINÆ GALENO-SPAGYRICA.

Ex Doctrina Hippocratis & Galeni nec non Recentiorum, imprimis Theophrasti Paracelsi, & Leonhardi Thurnheuseri, aliorumq; Chymiatrorum Principum Scriptis adornata.

Cui accessit

Ejusd. ***ARS PRONVNTIANDI*** EX URINIS

Tam Rationalis quam Mechanica.

ET

ÆSARIS ODONI DE URINIS Libellus Posthumus.

Francofurti,

Sumpt. GEORGII FICKWIRTI.

ANNO M. DC. LVIII.



ILLUSTRISSIMO
ET
CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
D^{N.} CHRISTIANO
DUCI SILESIÆ,
LIGNICENSI, BREGENSI
ET WOLAVIENSI
PRINCIPI ET DOMINO
SUO CLEMENTISSIMO.

Celſiſſime Princeps ac Domine, Domine Clementiſſime.



Puſculum hoc, quod Celſit. Tuæ devota hic offero manu, ante annos edecim, primum lucem

adſpexit. Occaſionem tum ſcripto dabant præter alia Iohannis Baptiſtæ ab Helmont Celebris Novatoris Paradoxa tunc primùm in publicum prodeuntia. Cum omnes novitatem mirarentur, nemo, quod ſciam, ſcripto ſaltem, contradiceret (majorum fortaſſis, quæ prolixè promittebat, expectatione) arrepta hac de Vrinis ſcribendi materia, multis in locis oſtendere conatus ſum, quam injurioſè totam Venerandam Antiqvitatem ſugillaret hic Author, quam ſuperciliosè Scholam, ita A-

cademias.

cademias per contemtum appellat, rejiceret; quam iniquè Humoristas, ita doctrinæ de quatuor humoribus assertores contumeliosè traducit, damnaret. Sed id de scribendi occasione. Distrahebantur tum brevi exemplaria, sic ut brevi post à Viris quibusdam Eruditis de Opere recudendo monerer. Distuli illud tum temporis, non alia magè de causa, quam ut in ea, quam succedente tempore in Vrbe Lesnensi (utpote populosissimaum maximo Magnatum Poloniæ atque Nobilitatis

confluxu) habebam Praxi ſatis ampla, qvotidianis obſervationibus auctiorem locupletioremque tandem in lucem emitterem: Quarum obſervationum ingentem etiam habebam collectum cumulum, magnam huic noſtræ doctrinæ lucem fæneraturum: cùm ecce inclementis Martis veſania, in totali florentiſſimæ hujus Vrbis deflagratione, inter alia optima quoqve harum pars Vulcano in prædam ceſſit: Cum verò Amicorum nonnulli iteratam editionem urgere non deſiſterent, eaq;

in

in re etiam Vir Honoratissimus Dnus. Georgius Fickvvirtz, operam mihi suam, cum Francofurti ad Mœnum essem, ultrò offerret, passus sum tandem, ea potius, qva primitùs adornatum fuit facie, in publicum prodire, quam sic diutius prorsus in obscuro latere. Quod vero illud sub Illustrissimi Nominis Tui auspitijs in hoc Famæ Comitium nunc emittam, quanquam causæ sint complures, tamen vel hæc una sufficiat, quod Illustr. Cels. T. me, præter prolixam benignissimæ volun-

tatis testificationem, novissimè in Consiliarium atque Archiatrum Suum adsciscere dignata est: Pro quo tanquam publico clementissimi affectus testimonio, cū nunc aliud non suppetat, vel exiguum hoc grati pariter & devoti animi exhibere volui redhostimentum. Laudes Tuas, Celsissime Princeps, hic non tango, neque enim hæc charta eas capit, utpote quibus vix integrum opus sufficiat; quodsi tamen Divini Numinis clementia vitam ad longiores curas produxerit, dabo operam, ut earum


num

rum quoq; vel in alia scripti-
onis materia dignum ali-
quod apud Posteros exte-
monumentum. Nunc sin-
cero, eoq; ardentissimo vo-
to supremum veneratu-
Numen, ut Illustr. Celsit. T
propriæ virtuti & commu-
nibus bonorum desiderij-
quam diutissime supersti-
tem, vigentem florentemq
servare dignetur. Dab. Brega
20. Iul An. 1658.

ILLUSTRISS. CELSITUD. TUÆ

Servus Humillimus

HENRICUS MARTINIUS
M. D.



PRÆFATIO
Ad Lectorem.

ANatomen Vrinæ hic habes, Studiose Lector, non cultello Democriti factam, qui humores in Corpore novaculâ scrutabatur, nec Vulcani tantùm ope administratam (nam & hæc hic conspici datur) sed diribitore præcipuè ingenio, cui soli penetrare datum est ea, quæ nec manuum ministerio aperiri, neq; ignis artificio recludi reserariq; possunt. Ad cujus adyta priusquam admittare, de tribus mihi in limine monendus es, de Scriptionis videl. Causa, Fine & Modo Methodoq;. De Causa, *quare vel scibere voluerim, vel cum scriberem, hanc materiam delegerim, non est, quod multis apud Te agam. Nosti, opinor eam esse bonorum Conditionem, non sibi soli vivere, sed & aliis prodesse velle, quod quidem verè præstant, qui utilia in publicum proferunt, qui id non assequun-*

assequuntur, conatum ostendunt, quibus autem annumeranda sint hæc nostra, Tuum judicium erit: quare hanc materiam delegerim, non quæres, quia Medica est, optimum autem quemque suam cantilenam canere: quod verò hanc Medicinæ partem, tribus exponam: Cum enim nulla sit ex tota Arte *nostra, cui plus nonnulli tribuant, cuique contra plus detrahant alij: & qui plura vulgò ex Urina promittunt, quam Principes quidam in Medicina Viri (ex quibus Forestus & Fabritius Hildanus aliiq;) etiam* Sennertus *ipse, admittunt, cum* Artis *præsidiis non omnino destituantur, incessit animum experiundi cupiditas, quantum id tandem esset, quod* Artis *nostræ adminiculo cognosci, adeoque quousque hic (neque enim omnibus assentior, qui angustioribus limitibus hanc circumscribere videntur) ingenium humanum eniti possit, ubi* Ars *ipsa terminos constituisset, ultra quos non dâretur efferri; quo ita quidem* Artis, *quæ datur, pomaria proferri possent, sed & fraus detegi eorum, qui* Artis *præsidiis ad quæstum & fraudem abutuntur, adeoque seculum ab ignorantia liberari.* Tantum *de Causa Scriptionis.* Finem *in tractatio-*

ne:

ne mihi duplicem potissimum propoſui: Cauſarum Vrinæ investigationem, & dubiorum quæ in hac materia occurrunt, proſcriptionem ex agro Medico. In Cauſarum investigatione quantum hucusq; fuerit deſideratum, vel hoc argumento eſt, quod nemo hactenus, quotquot de Vrinis ſcripſerunt, Vrinæ in corpore partiumque Oeconomia generationem, & generationis proceſſum ita fuerit proſequutus, ut inde quid quælibet pars, Publica præſertim, ei tribuat, qualemque ſui interpretem ei imprimat characterem, cognoſci poſſit, quod quamdiu ignoratur, quis non videt, Vrinæ etiam ſignificationem, talem videl. qualis requiritur, dari non poſſe. Id autem in capite ſecundo & ſexto, ac alibi paſſim tam diſtinctè propoſui, ut Lectori ſimul patefactam eſſe viam exiſtimem ad Vitalem, ut eleganter Chymici loquuntur, Corporis Anatomiam in reliquis quoque ſcrutandam, quam quidem unicè in Medicina adhuc deſiderari, (nam Chymici præter nomen nihil dederunt) certò ſtatuo, eamque ſupra illud Divini Hippocratis effatum fundandam eſſe cenſeo: * Omnia omnibus conſentiunt, omnia omnibus communia. *Sed de hac alias. Tu interim*

* 4. de Morb.

terim ex his initiis utilitatem metire & qui talia præstare potes, nos seculumque his bea. Recluseris enim unâ & eadem opera occultos & latentes naturæ processus, quibus illa in humani corporis Oeconomia utitur, loquar magis Medicè, Caloris nativi in Corpore negotiationem, unde jam etiam morbos retexere facilius sit, postquam, quo eos natura filo in Corporibus nostris texere consueverit, fuerit cognitum. Dubitationes quod attinet, quæ circa hanc materiam occurrunt, occurrunt autem plures, eas si id fieri posset, tollere, vel si non daretur, magis etiam ratas facere institui, ne videl. obstarent amplius. Nihil enim Veritati magis officit, quam quod quadam dubitandi consuetudine & quasi Authoramento vulgò jam ferè de omnibus dubitatur, cum tamen, ut egregiè Philosophus Anglicanus:† Ille demum sit ingenij usus legitimus, qui ex dubijs certa faciat, non qui certa in dubiū vocet. *Quid autem magis anxium habere possit animū Veritatis avidum, quam cum utrinq; non tantum dubitatur à Principibus in Medicina Viris, & quorū valida in utramq; partē Authoritas est, sed & sententiæ ita inter se diversæ ab aliis, qui*

Institu-

†Fr. d. Verul. d. Aug. Scient. l. 3. c. 4.

Institutiones scribunt, ita proponuntur, ut utraque suo, ut ajunt, loco relinquatur, atque ita dubitatio magis foveatur, jamque fiat justa & quasi Authentica, ex quibus, si quæras; an ergo utrumque etiam in Praxi tenendum sit, & v. g. an idem ex Vrina affirmandum & negandum hoc est, nugandum sit, nescio profecto quid responsuri sint nobis. Ergo utrobiq; quidem vigere debet inquisitio, sed ita ut inquisitionis finis sit Veritatis inventio non Dubitatio. Et quidem in præsenti negotio ita nobis favit materia, ut etsi nullam quæstionem, quæ hujus loci esset, prætermiserim, nullam tamen indefinitam, aut interminatam reliquerim, quam id dextrè nemo judicabit melius, quam qui omnes has controversias optimè ipse pernoverit & cum prolixa aliorum disputandi ratione concisam hanc nostram brevitatem conferre voluerit. Veterum sententiam ubiq; unicè conservare studui, Galenumq; aliquot in locis jam communiter ab aliis quidem vapulantem, ab aliis desertum, restitui. Recentioribus nusquam detraxi, nisi cum ipsi Antiquitati, idque immeritò. Veritatis enim suprema lex. Novitates sectatus non sum, sicubi tamen quædam adferendæ

ferenda fuêre, quæ eatenus nova sunt, quatenus ab ab aliis præterita, cum res aliter expediri non potuit, non mulctabuntur invidia novitatis, præsertim cum ex antiquissimis fontibus Hippocratis & Galeni & Chymicorum quoque placitis diducti sint rivuli. Ab omni verborum asperitate abstinui etiam in eos, qui id merebantur, Reusnerum intelligo, (cui Galenus pro Doctore Coctor & alia intemperantis ingenij complura) imprimis autem Iohannem Baptistam ab Helmont ridiculum totius Antiquitatis Contemtorem & insectatorem contumeliosum. Expectent vicem ab aliis, mihi illud nec ætatis modestia, nec naturæ genius, nec institutum proprium permittit. Ita enim semper statui; Veritatem quia Virtus est, non nisi Virtutibus comitatam in publicum prodere debere. Methodum, *ut de ea etiam aliquid addamus, eam servavi, quæ fini proposito esset accommodatissima. Nam in accurata & distincta Causarum inquisitione aliter versandum non erat, quam effectus revocando ad suas Causas, quod etiam ante nos Actuarius fecit, sed summam confusionem non effugit, quam ut vitaremus, naturalem methodum artificiali ita*

tempera-

temperavimus, ut quantum per rei difficultatem liceret (nam cognitio per Causas ut omnium perfectissima ita & difficillima est) omnium expeditissima redderetur ratio. Ita instituta primum Vrinæ divisione, Liquoris initio Causas, Materiam videl. Efficientem & Instrumentalem investigavimus, quas deinde in generationis processu ad partes magis determinavimus: His proximè Vrinam optimam tanquam harum effectum subjunximus, ejusque requisita, quæ antea in Causis speculati eramus, distinctè in effectu contemplati sumus, & quia contraria juxta se posita magis elucescunt, Vrinæ ab optima recessum, ejusq; differentias huic proxime subjecimus. Dehinc horum recessuum Causas vestigavimus, idq; eo quo eas antea ordine in Vrina continuaveramus, videl. primum ratione materiæ, deinde efficientis, deniq; instrumentalis Causæ. Et sic in Contentis, quanquam hic paulò mutavimus propter materiæ differentiam. Omnium ultimò eas Causas recensuimus, quæ priores in agendo vel mutant, vel etiam peculiariter determinant, idq; propter pronuntiandi facilitatem. Huic deinde Analysis Vrinæ Chymica accesfit,

quæ


qua partim ea, quæ ex rationis & experientiæ dictamine, supra attuleramus, magis confirmarentur, tanquam oculari demonstratione; partim ad ulterius inquirendum aditus aperiretur. Sed & modum rationemq; in fine adjecimus, qua ex Cognitis causis de Urina pronuntiandum prædicendumque sit. Quid conatus sim habes, quid præstiterim judicabunt æqui & boni; invidi enim, cum obliquum tueantur, non possunt, mali gustu suo corrumpunt omnia, quorum nec hos nec illos moror, neque morantur, quibus

generoso pectus honesto
Excoctum.

Vale & favore tuo ad majora excita.

Dabant. Lesnæ Polonorum
4. *Decemb. An.* 1645.

Eximio



Eximio Viro

Domino

GEORG. FICKVVIRTO.

Amico

S. P. P.

JO. DANIEL HORSTIUS.

ANatomiam Urinæ legi hisce diebus, suadeoque seriò, ut recudat. Præter enim generalia non pauca particularia scitu necessaria & utilissima exhibet. Non tantum vero hoc opusculum perfice, sed & Autorem etiam atque etiam urge, ut promissam uberiorem ex urinæ inspectione morborum delineationem transmittat, appendicis loco conjungendam. Plus enim justo curtus est hanc ad rem in præsenti libello. Vide ergo ut non aufferetur, quod hic differtur. Non denegabit Vir bonus & ad præstandum

ſtandum debitum promiſſum ſatis idoneus, ſi modò moneas. Geomanticam Fluddi Uroſcopiam ego planè damno: Thurnheiſerique Chemicam non æſtimo, unicuique interim permittens proprio cerebro uti, meque tuo amori porro commendans, qui ſum tuus amicus paratiſſimus. VALE.

JOHANNES JONSTONUS
Med. D.

HENRICO MARTINI,
Medico Eruditissimo. S.

QUæ de Anatomia Urinæ & Colica ad me expendenda misisti, iterum iterumque perlegi; & quia judicium meum expetis, dicam uno verbo, quod res est. Tantum laboribus istis, si eos emittere volueris, publicum debebit, quantum ego amori Tuo, qui me talia censere posse suggessit, me debere fateor: nec minus meo judicio ex utraque Commentatiuncula, Authoribus, qui has materias pertractarunt, accedet, quam ex inventis ab Asellio venis lacteis, ab Aqua pendente venarum valvulis, à Fallopio Tuba uteri, à Cecilio Folio in recens natis & adultis foramina illa propè basin cordis pervia, loco quo parenchymati vena cava proprior est, per quod ex dextro in sinistrum ventriculum sanguis transgreditur, Anatomiæ accessit. Video Te in Anatomia Urinæ tam accuratè Causas recessuum

ſitum ab Urina, quam Optimam dicimus, venatum, ut vel ſolum caput ſextum, palmam Te omnibus, qui de hac materia ſcripſêre, præripuiſſe teſtetur. Contentorum vero materia ita examinata eſt, ut fatear mihi præ Capivaccio, qui ſanorum & ægrorum Contenta ſatis accurratè tradidit, ſatisfeciſſe. Nec dubites, illa quæ de Cauſis Colicæ flatuentæ ſcribis, plerisque ita placitura, ut mihi. Omnibus & hæc & illa placitura non eſt, quod ſperes, nec ſi aliquibus diſplicuerint, quod attendas. Nec ipſe Juppiter omnibus placet, ſive pluat, ſive ſerenet. Plerumque ægris oculis alieni labores adſpiciuntur, & naſcuntur quidam ut venena, qvi nullum aliud abominati ſpiritus præmium novêre, quam omnia, quæ ab ipſis non proficiſcuntur, odiſſe. Noli itaque hos labores publico invidere. Quia vero tam acri Te Natura ingenio inſtruxit, auderem petere, ut & alios humores in manus ſumere, eosque accuratius excutere velis. Equidem egregiè de ſanguine Carvinuus egit: Rodericum etiam Caſtrenſem Luſitan. ſingularia quædam in ſuis Meteoris Microcoſmi de

Colore

Colore ipsius habere memini: quin & circularis motus accuratissimè ab Harveo quem olim graviter de hac materia in Collegio Medicorum Londinens. disserentem audivi, & Valæo, cujus egregium de hac materia ad Bartholinum scriptum extat, examinatus est. Occurrunt & apud Briggium & Haukian. Anglos de humore melancholico, qui certè multum in recessu habet, haut vulgaria: notus etiam est elegantissimi Mercurialis egregius de humoribus excrementitiis labor, quem in suam Physiologiam Gardin. transtulit: ausim tamen polliceri, plurima Te adhuc inventurum, quæ exactiori opus habent indagine, & in quorum occulta, singulare, quo polles, ingenium etiam me non monente, nullo negotio penetrabit. Vale.

Dabant. Lesnæ Polonorum
An. 1645. *mens. Decemb.*

Index

INDEX CAPITUM.

Index Quæstionum

præcipuarum


quæ hic determinantur.

7. *Vrina*

15. An



In




In Nomine Archiatri Summi

ANATOMIÆ VRINÆ GALENO-SPAGIRICÆ

Caput I.

Vrinæ in Parte Medicinæ Semioticâ utilitas. Partitio Tractatus. Divisio Vrinæ in Liquorem & Contentum. Liquoris Causæ secundum naturam, Materia & Efficiens.



Um cujuſcunq; partis in corpore ſuperfluitas, eam, quæ illi ineſt, diſpoſitionem oſtendat, teſte Galeno; Partes autem corporis ex doctrina Hippocratis, in univerſum ſint tres, Continentes ſcilicet, ſive partes Solidæ, Contentæ, ſive Humores & Impetum facientes, ſive *1. de crisib. c. 7.*

 Spi-

Spiritus: Urinæ quidem, ut quæ harum omnium interpres est haut obscurus, primas in Semiotice, sive eâ, quæ est de Signis, doctrinâ deberi censendum est. Nam Urina quia est serosa alimenti superfluitas ab Universo corpore depulsa, & instar aquæ per terram percolatæ depurata simul & alterata, qualitatem tum Corporum, quorum facultate coctrice una cum alimento excocta fuit, tum Humorum, cum quibus cocta & à quibus coctione expressa est, tum Spirituum, quorum vi agitata, elaborata & depu sa est, repræsentat; atque ita nos & oculis hîc, ut ille ait, & auribus cap tos in abdita viscerum & vasorum quibus morborum semina occult sæpè latent, penetralia, corporis recessus quasi manu ducit. Qua ut ducem habeamus minimè fall cem, ejus naturam paulò diligent us rimari animus est, idque adhib

to examine duplici, primò quidem rationis, ejus scilicet, quæ experientia & multorum temporum observatione comprobata est, deinde & Mechanices ipsius sive Spagiricæ separationis, cujus adminiculo interiora ejus reclusa nos de ijs, quæ ex intima facie foris colliguntur, confirment.

Rationis examen primùm aggredimur. Atque hîc Urinæ natura, generationis modus, differentiæ, earumque causæ initio cognoscenda veniunt. Verum quia in Urina duæ sunt partes natura quam maximè diversæ, Liquor scilicet, sive latex serosus & quod latice illo præterea continetur, Contentum inde dictum, adeoque nihil in genere de Urina dici potest, quod non in singulis evariet, quælibet distinctè & separatim consideranda est, qua ratione etiam, quid ex quavis separatim pronuntiari possit aut

debeat, clarius constabit. De Liquore igitur primo loco acturi, ejus primùm causas, Materiam scil. & Efficientem ordine considerabimus.

Materiam liquoris urinarii quod attinet; Ea primò est Materia potulenta, ut colligitur ex Galeno, quatenus scilicet per illam intelli-tur pars potus magis aquosa tenuis & excrementitia; Aquosa quidem, quia quæ in potu sunt partes aëreæ & alimentariæ, eæ in corporis cedunt nutrimentum, prout exemplum confirmat eorum, qui solo potu aliquandiu vitam sustentant; Tenuis autem, quia portio ejus crassior & visciditatis particeps humori in corpore crudo, qu m pituitæ temperamentum accepisse vult Fernelius, materiam suppeditat; at excrementitia, quod alia rorida magis corpori blande irrigando, ne continuo motu exarescat, sit utilis

5. de usu part. cap. 6.

6. Phys. 6.

utilis. Potus autem hîc non accipiendus absolutè pro humore bibito & quomodo cibo opponitur, sed pro quibusvis rebus fluidis sive liquidis, etiam eâ humiditate, quam in se cibi ipsi habent reconditam, quo sensu ab Hippocrate etiam accipi, author est Gal. Atq; hanc materiam aquosam solùm urinæ materiam esse volunt Argenterius & Hieron. Mercurialis, aliique qui urinam nihil aliud esse affirmant, quam potum alteratum, suisque ut ajunt, accidentibus spoliatum.

Comm. aphor. II. part. 2.

de urin. cap. 2. & 4.

Verum Valesius præter materiam aquosam aliud adhuc in urina agnoscit, videl. serum sanguinis, idque ex * Galeno qui urinam dicit esse *serum humorum in venis contentorum.* Quem plerique sequuntur, disertè autem † Heurnius, qui utrumque complectens; *Urina*, inquit, *nihil est aliud quàm materia potulenta, cum sero venarum*

de urin. cap. 3.

de urin. cap. 1.

**1. Epid. com. 1. tex. 5.*

† Comm. in Hipp. de princip.

& *arteriarum remixta*. At cum serum venarum & ipsum soboles sit materiæ potulentæ, cujus naturam quodammodo exuerit, ut fatetur Reusnerus, non apparet, quid tantopere Valesius diversum ab Argenterio & Mercuriali adferat.
Instit. lib. 1. *cap.* 9. Quapropter Sennertus ex sententia Chymicorum præter aqueum humorem hic requirit sal, ita ut serosum illud excrementum nihil aliud esse velit, quam salem ex cibo & potu superfluum & alendo corpori inutilem, quæ quidem sententia & veritati & experientiæ est consentanea. Nam ut jam de Sale symbolico nemini litem moveam; constat, opinor, præter salem, quo condimenti loco utimur & sine quo nullus cibus assumitur, omnibus alimentis salis proprij & quasi domestici aliquid inesse. Utique omnia quæ terra nascuntur, & ab homine in alimentum assumuntur, suo

ſuo ſale abundant, qui levi jam & vulgari artificio ex plantarum cineribus elicitur, & animalia quia plantis veſcuntur, eodem participant, eumq; comeſta homini communicant. Quin & potui ineſt non modicus, cerviſiæ quidem ex frumento, vino ex proprio tartaro, quem ſatis copioſum vaſorum ſpondiliis apponit, imò ipſi aquæ ſimplici, quam longâ coctione ſalſum aliquid contrahere videmus, ita ut nihil prorſus ſalis hujus ſit expers. Hujus autem partem maximam (aliquid enim ejus, quod ſcil. maximè volatile, in partium ſubſtantiam concedere, ſales ex cranio humano aliisque partibus ut & ſanguine deſtillatione eliciti oſtendunt) tanquam ἀπεπτότατον Ariſtoteli, una cum urina excerni, præter totam Chymicorum cohortem, ipſe oculorum ſenſus tanquàm minimè fallax rerum arbiter,

evincit. Nam præterquam quod varia ſalium genera ex urina conficiuntur, ut Armoniacus, Borax officinalis, ipſumque Nitrum, ut videre eſt apud Untzerum, in urinæ deſtillatione is copioſiſſimè conſpici datur, ita ut qui amplius ſalem in urina negare contendat, is ſuam in rebus Chymicis inſcitiam manifeſtè prodat, ipſique adeò experientiæ oculum effoſſum eat. Materiæ ergo rationem in urina ſecundo loco habet ſal ſive ſalſum excrementum, ita ut hæc duo ſal ſcil. & humiditas aquea ſimul juncta & concoctione invicem permixta, conſtituant ſalſum illud & ſeroſum liquorem, quem urinam vocamus, non aliter ut ex aqua & ſale cinerum permixtis & ſibi invicem incorporatis fit lixivium; Atque hinc, quæ in urina eſt, conſiſtentia reſultat.

Phyſiol. ſalsa ca. 16. 17. & 18.

Porro quia in liquore urinario ad-

adhuc alia ſeſe offerũt, quæ ad hæc duo, aquam ſcil. & Sal revocari nequeunt, nimirum Color ille, qui in urinis ſanorum eorumque temperatorum & ætate florentium conſpicitur, rutilum auri fulgorem repræſentans, qui neque à materia aquea eſſe poteſt, cum aqua, nullâ etiamſi longiſſimâ coctione, coleretur, neque à ſale, quia etſi ſal in aqua reſolvatur, non tamen illa inde ejuſmodi colore tingitur, neque etiam à calore, ut recte Montanus ſtatuit, propriè ſcil. & per ſe, nam idem in ventriculo gignit chylum albidum, in jecore ſanguinem rubeum; relinquitur, aliquid adhuc in corpore dari, quod tincturæ inſtar urinæ remixtum, eam hujusmodi colore inficiat. Hoc autem ſecundum Galenum præſtat bilis flava, cujus portio, ſi urinæ miſceatur, colorem illi aureum conciliat. Quam ſententiam acerbiſſimè

1. de Vrin. c. 5.

3. de Symt. Cauſ. c. 4.

stringit Johannes Baptista ab Helmont, Philosophus, si vel ipsi credimus, & Medicus, non nostræ tantum, sed & omnium superiorum ætatum unicus. Causam adfert, *quia urina citrinans, & crocea nunquam ad gustum est amara, cum tamen una fellis gutta duas lotij libras amaricet, & in* piscibus paululum bilis effusæ totum piscem ingrato amarore inficere videmus. Quin & multo ante ipsum Reusnerus se non satis assequi scribit, quomodo bilis flava urinæ permista ὄρον non faciat περίχολο. † Sennertus etiam, qui propterea dubitanter de eo pronunciat, aliam adhuc addit difficultatem; videlicet, quia urinæ sanorum (etiam igneæ) linteamina & res alias quæ in ea detentæ fuerint, non tingunt, quod fieri vix posset, si flavedo à bile flava proficisceretur, cum constet flavam bilem, si urinæ interdum permisceatur,

de Humor. nal. c. 4.

in Wilich. de prob. Vrin. 2. cap. 7.

† *in Instit. Vrin. c. 5.*

ceatur, ut in ictero, linteamina aliaque flavo colore tingere. Et Helmontius quidem pro bile flava substituit scoriam, quæ ipsi est *pars stercoris liquidi à cremore in fine ilei, ubi incipit stercorescere, separata indeq; per venas mesenterij lotio inspersa*; Verum & hæc ipsius Scoria fictitia est, & si daretur, multo quàm bilis urinam inficeret gravius, cum stercora execrabili amaritudine inquinata sint. Quod si ergo portioni bilis flavæ cum Galeno hæc tinctura attribuenda sit, dicerem id de bilis flavæ, quæ in jecore è rudimento sanguinis exprimitur, parte benigniore accipiendum esse non de fœcibus & amariore illa amurca, quæ in folliculum fellis coctione despumat; atque hic veluti flos bilis, dum in jecore adhuc à reliqua massa separatur, sanguini est pro stimulo, quo per exiles illos & angustissimos ramulorum *Loc. citat.*

Portæ & Cavæ meatus alacrius trajiciat in Venam Cavam, unde cum reliquo sero ab emulgentibus abripitur. Neque verò ab hac urinam amaram reddi necesse est. Nam amaritudo fæculentæ potius bili convenit, ut quam partim à proprio bursæ temperamento trahit, partim quia partibus humidioribus quibus anteà temperabatur, separatis, sese ipsam magis exacuit; quæ verò temperatior est & florida bilis portio, ea non magis urinam inficere credenda est, quam bilis alimentaria sanguinem. Quæ etiam ratio est, quod non tingat linteamina, aliaque, quod tamen facit bilis flava in Ictero, ut quæ amurcæ instar sanguinem fermentando eum suo colore pariter & amarore coinquinet, unde etiam Ictericorum sudores amari deprehenduntur; Ita ut minus fides adhibenda videatur Helmontio asseveranti,

veranti, etiam Ictericorum urinas etsi saturatissimas, amaras tamen non esse, cum eadem sit sudoris & urinæ materia, ut ex Galeno, & * Aristotele constat, & si quis in ijs amaror non percipiatur, id inde fieri * necesse sit, quod à liquoris salsedine obscuretur, quod quidem in bile flava & urinis sanorum certò obtinet. Nam ut nunc de saporum amari scil. & salsi cognatione nihil dicam, qua fit ut istius in hunc coctione fiat transitus, ut ostendit ingeniosissimus Campanella, & quod bilis Chymiatrorum Principum suffragio sit naturæ nitro sulphureæ, ut apud Quercetanum videre est, adeoque salis non parum participet, fatente Sennerto; quid de aqua marina nobis respondebit Helmontius, quam & salsam & amaram esse constat, & cujus salem etiam in urina contineri, ipse author est. An quia urina non amarum sapit

10. De simpl. medic.

* *facul. sect. 2. probl. 3.*

Medicinal. l. 5. cap. 2. art. 2.

Tetrad. gravis. cap. affect. c. 7.

d. Lithiasi ca. 3.

pit Helmontio, ideo nihil urinæ amaror inerit etiam si sale marino participet, qui amarus est? An quia amari aliquid urina continet etiam ipsa urina erit amara, sed ita ut aquam maris videmus, in qua salsedo amaritudinem vincit? An vero etsi amari aliquid ad urinæ constitutionem concurrat, id in salsedinem ulteriore concoctione degenerat? bilis maxime, quæ & salis particeps & cum salso ac seroso humore jungitur, & concorporatur; quod postremum adeò probabile est, ut Gentilis urinæ salsedinem non aliunde deduxerit, quam à bile, cujus si portio urinæ admisceatur, salsuginem inde oriri statuit, cui & Eustachius adstipulatur, ut alios nunc taceam. Atque hæc ideò pluribus à nobis dicta sunt, quod nemo, quod sciam, hujus hactenus causæ patrocinium susceperit.

in Avicen. l. 1. *fen.* 4. *doct. c.* 1. 2. *de offic. ren. cap.* 28.

His denique ultimò ex senten-

tra Joh. Bapt. Montani addenda videtur Substantia spirituosa, ut quæ & odore & splendore suo se prodit, & reliquam quoq; molem per se alioqui obscuram illustrat. Nam & mel quoque & ceram videmus, quæ per se opaca sunt & crassa, igneo calore colliquata, spirituum copiâ susceptâ transparentia reddi. Sennertus tamen dissentit, & potius vapores calidos quàm spiritus in urina esse statuit, luciditatemq; quæ in urina apparet, non à spiritibus, sed æquali partium urinæ mistione provenire. Verùm cum urinæ splendor vaporibus attribui non possit, ut qui obscurent, potius urinam, quam illustrent, & ex æquali partium commixtione perspicuitas quidem oriri possit, at non luciditas, tanta præsertim quanta nonnunquam in calidiorum urinis exsplendescit, atque quod notatu dignum, in febribus

in Instit. d. Vrin. cap. 4.

in summo calore circa statum, cum urina ratione materiæ & turbationis in corpore maxime turbulenta esse deberet, clara conspiciatur & flammæ instar rutilans, quod nisi à spirituum febrilium & ardentium permistione esse non potest; dubitandum quidem non videtur, *serum quod ex venis & arteriis deciditur, spiritus naturales & imprimis vitales secum simul abradere*, quæ sunt verba Zuingeri. Quod si quis tamen de spirituum impressionibus, sive quod idem est, impressionibus spirituosis id accipi velit, ei non multum repugnem. Ab ijsdem etiam spiritibus urina levitatem suam obtinet, unde fit, quod urina puerorum sit levior, propter scil. spirituum copiam; quemadmodum contra senum est gravior propter eorundem defectum.

Physiol. Med. l. 2. c. 49. d. miṫ.

Efficiens liquoris urinarij causa est Calor concoctionis opifex sive

Tem-

Temperies conveniens & Spiritus, ut proximum inter corporea coctionis instrumentum, & ille quidem naturalis ſpiritus in quacunq; parte à vitali velut animatus. Idque univerſim & in genere quinq; modis. Primò quidem, quatenus ex alimento, quod reſolvit partes tenuiores à craſſioribus ſeparat, unde primâ fit in omni coctione materiæ urinariæ quaſi delineatio. Deinde quatenus ſuperfluum aqueum, cum ita coquere non poſſit, ut indè generetur aliquid utile humano corpori, incraſſat, unde hoc jam ſeri idæam trahere incipit. Tertio quatenus partes ſalſas, (ſive illæ ſint ſalſæ ἐδεσμάτων portiones, quæ αἱματώσεως potentiam effugêre, ut Galenici concedunt, ſive ſal reſolutum & ex fixo quaſi volatile factum, ut Chymici volunt) ſeroſo huic liquori tanquam proprio vehiculo incorporat, & colatione ex-

actiùs

actiùs permiſcet, unde urina conſiſtentiam ſuam acquirit, eamque eo craſſiorem quo & plus ſalis illi permiſcetur, & ſæpius ac per plures partes percolatur, non aliter ſicut lixivium per cineres ſæpius transcolatum craſſius redditur. Quartò quatenus ſeroſum hunc liquorem unà cum reliquis humoribus ulterius excoquit & (quod coctionis proprium) partes ejus craſſas attenuando, tenues vero incraſſando ad æqualitatem perducit, unde urina diaphaneitatem ſuam ſive perſpicuitatem adipiſcitur. Denique quatenus eum ab alijs humoribus, cum quibus coquitur & elaboratur & quibus vehiculum præſtat, vi ſua diuretica fundit, ſeparatumque è corpore propellit, unde urina oritur quantitate moderatâ & quæ potui proportione ut plurimum reſpondeat.

Huic autem in agendo ſubſervit,

vit, ita ut causa instrumentalis dici mereatur, meatuum Apertio, quæ corpus εὔπορον & meabile ac transpirabile existit. Nam hujus Apertionis beneficio tùm materia in meatibus contenta rectè elaboratur, difflatis videl. fuliginosis recrementis, & calore ventilatione auctiore reddito, tùm quod alendo corpori utile est, ad habitum corporis partiumque anatomiam evadere, quod vero superfluum & excrementitium liberè & inoffenso cursu remeare, èque corpore sine impedimento excludi potest.

Atq; isthæc omnia cum non in una aliqua corporis parte fiant, uti somniabat Lycus apud Galen., qui urinam tantum alimenti renum excrementum esse volebat, sed totius Anatomiâ, omnisque adeò triplicis concoctionis instrumentis Visceribus scil. & Vasis, id est venis & arterijs, & privata quoq; cujusvis partis

5. de facul. natur.

partis œconomia; operæ pretium est ſcri hujꝰ Urinarii Mechanicam, ſive generationis modum in univerſo corpore ejusq; partibus, Publicis præſertim, diſtinctè rimari, quod adeò capite ſequenti facturi ſumus.

CAPUT II.

Liquoris Vrinarij Mechanica interna, ſive Generationis & Separationis modus in Corpore, & Oeconomia Partium idque ſecundum naturam.

CUm univerſum corpus alimento indigeat, indigebit etiam alimenti vehiculo, quod eſt ſerum. Generabitur ergo ſerum in Univerſo corpore; Præcipuè autem in officinis & Partibus, quæ ab officio Publicæ dicuntur. Quod quomodo fiat, explicare aggredior. Atque ut inde exordiar, unde & Natura

Natura pensum suum inchoare solet. Extra dubitationem est, rudimentum urinarij liquoris in prima statim concoctione adhuc in ventriculo fieri. Nam hîc postquam alimentum (cibus scil. & potus) assumptum est, maceratione liquidorum cum crassioribus, sive humidorum cum siccis, humida partes sui meliores, quas continent aëreas, coctione in reliquas deponunt, & vicissim salsas & inutiles ex ijs eliciunt & in se transfundunt. Quæ miscella rudis adhuc & confusa & malè terminata, utrum universa per mesaraicas, quæ primæ chylum à ventriculo & intestinis excipiunt, cum chylo ad epar & hinc ad renes transferatur, quæ communis hactenus sententia fuit, an verò pars ejus aliqua statim è ventriculo ad vias urinarias relegetur, videndum est. Certe Sennertus, qui in Institut. communem sen- *Lib. 1. cap. 9.*



ſententiam ſequitur, alibi in Tract. de Scorbuto apertè contradicit, ubi etiam viam per quam ſeroſus hic latex è ventriculo ſeparetur, patefacit, videl. vas breve; idq; helluonum exemplo confirmat, qui brevi poſt, quem ingurgitarant potum, copioſè reddunt, quod in tanto circuitu vix fieri poſſe videtur, & quotidiana in hypochondriacis præſertim experientia id abunde teſtatur, quorum nonnulli quadrantis horæ ſpatio à ſumto cibo copiam urinæ ſatis magnam profundunt eamq; tenuem & aqueam, ut vel hoc argumento ſit primæ in ventriculo concoctionis eſſe excrementum. Tunc autem nec concoctio abſoluta eſſe potuit, & clauſo pyloro nihil tale inde pervadere. Neque id extra ordinem tantum & naturæ quodam delicto, ſed & ordinariè fieri, ut non expectato ſcil. coctionis termino aliquid humiditatis

ditatis è ventriculo exhauriatur, verisimile facit, quod cibus jam post aliquam vel etiam idoneam concoctionem vomitu rejectus (modo non ventriculo innatans coctionem passus non sit) tantum liquidæ substantiæ non repræsentet, quæ potulentis assumtis proportione respondeat; cui & illud addi potest, quod potulentia illa & aquositas, quæ sæpè satis multa assumitur, nisi durante concoctione aliqua ejus portio separaretur, incrassationi chyli, & præsertim aëreæ portionis concretioni delicatiori plurimum futura esset impedimento. Viam autem, per quam fertur, cum Sennerto agnoscimus vas breve, è ventriculi capacitate ad truncum splenicum proximè juxta lienis ingressum, protensum, ideoque non sine causa Lienem ab Hippocrate aquosi humoris receptaculum dictum esse, quod etiam *Lib. de Morb.*
Aristot.

Aristot. quando lienem aquosa divertere scribit, innuere voluit.

3. d. fac. nat. c. 4. Absoluta in Ventriculo concoctione, & pyloro, ut Galen. expressè testatur, recluso, miscella hæc serosa una cum reliquo chylo transit in intestina, ubi aliquam sui partem humori crudo & lubrico (qui chyli vel potius recrementorum ejus vehiculum est & pituita intestina oblinens Fernelio dicitur) permixtam deponere ad intestinorum parietes, vero dissimile non est, quæ inde à renibus exsugatur, unde etiam renes intemperie calida laborantes fœces exsiccare in Schola receptum est. Pars autem maxima aëreo illi & delicatiori succo vehiculum per tenuia mesaraicarum filamenta transitumque lubricam præstat, Hippocrati ideo ὄχημα τ̃ τροφῆς dicta, donec ex harum myriadibus, infinitis quasi styllicidijs in unum rivum confluen-

fluentibus in Portæ caudice, antequam adhuc jecoris cavum ſubeat, magna ejus pars à chymo ſeparatur, tanquam ſuperflua, quæ in venæ portæ radicibus ulteriorem ſanguinis elaborationem impeditura eſſet. Atque hæc tunc ſeroſitas aquea tum jam plures partes ſalſas continere, tùm exactius miſta videtur, concoctionisq; plura habere veſtigia, illud quidem, quia ſal naturæ unitius cohæret, non ſuperficialiter, indeque non in prima ſtatim reſolutione perfectè elicitur; hoc vero, quia in toto illo meſaræi tractu una cum cremore ulterius excoquitur & percolatur.

Reliqua inchoati ſanguinis maſſa poſtquam ad hepar transvecta eſt, in ejus parte cava elegantius elaboratur, ſeparato ſcil. in cyſtin fellis bilioſo recremento, ſeroſitate autem ex ſangvine concreto copioſiore expreſſâ, quæ quidem pe-

culiari naturæ providentia ſangvine, utpote coctione & fibrarum copia craſſiori jam reddito, inſerviat ad penerationem per anguſtas ad-anaſtomoſes, ſive oſculorum commiſſiones, radicum Portæ & Cavæ, extra quas cum dilapſus jam ſangvis in Cavæ truncum confluxit, hæc ut ſuperflua per emulgentes derivatur ad renes, & cum ea ſimul illa bilis flavæ portio, quæ ipſi in jecore, cum ſanguis coqueretur, pro ſtimulo, ut diximus, remixta fuit;
4. *De Part.* De hac enim intelligendus eſt Ariſtoteles, quando bilem cum ſangvine ad cor deferri negat, ne illud acrimonia ſua lædat; quod etiam ea, quæ ſupra contra Galeni ſugillatores à nobis allata ſunt, egregiè confirmat. Atq; hæc demum ſeroſitas eam quam ſerum in corpore obtinere debet, τιλείωσιν adepta videtur, ut quæ & bilis nonnihil traxit & tenuia ichoroſæ partis re-

cre-

crementa à sanguine, dum coqueretur exhausit & in se vertit; unde etiam factum, ut huic ferè soli materiæ urinariæ origo hactenus adscripta sit. Verum nondum hisce finibus urinarij liquoris generatio circumscribitur.

Sanguis ergo è jecore recens in venas prolectus, ex parte quidem in nutrimentum partium per ramulos venarum abripitur; Pars verò maxima per venæ cavæ tubulum ascendentem rectà in dextrum cordis sinum delata, inibi subtilior & spirituosior redditur, indeq; sive per venam arteriosam & arteriam venosam facto circuitu, sive per intermedium cordis sepimentum compendio in sinistrum cordis ventriculum translata, calore ejus vivifico in essentiam quandam sublimiorem circulatur, atq; ita sublimata in arteriam magnam ipsi annexam ebullit; cujus purior &

ſincerior pars, dum in aëream ſubſtantiā ſive ſpiritum vitalem effloreſcit, reliquum corpus ſeroſius evadit, quemadmodum ſcil. flore lactis ſeparato, copioſius ſerum emergere ſolet. Et hinc eſt, quod arterioſus ſanguis ſeroſior ſit quam venoſus, nec tantum plus ſeri in arterijs contineatur, quam in venis, ut Laurentius prodidit, ſed & triplo plus, ſi Reuſnero credimus, qui in phiala una ſanguinis arterioſi plus ſeri contineri ſcribit quam in phialis tribus ſanguinis venoſi. Hujus autem reſtagnans copia tanquam ſuperfluum per arterias emulgentes à renibus attrahitur, quas ei fini etiam ſatis magnas natura fabricavit, ita ut Galenus diſertè aſſerat, arterias in renes inſertas, omnium quæ à Maxima arteria oriuntur, eſſe prope maximas. Atq; hoc ſerum ſero venarum & ſubtilius eſt & minus coloratum, illud

in Wil. 1. cap. 3.

2. nat. fac. 4.

illud quidem quia ejus partes multa eaque exquisita coctione magis aquales redditæ, hoc quia sanguine exaltato ejus serum ichorosius & decolor devenire necesse habuit.

Deniq; quæ in sanguine reliqua est in venis & arterijs serosa substantia, tum ad deductionem sanguinis per mediastinas venarum & arteriarum valvulas (quæ in majoribus vasis frequentes reperiuntur) tum ad emissionem ejusdem extra capillares venas, quando jam in partium substantiam una cum sanguine recepta est, tunc *in partibus singulis duo ex ipso, quo aluntur, succo separantur, aliud quidem ceu semicocta quadam reliquia, qua adsimilari nutriendæ parti nequiverant, aliud quod transmittendi alimenti fuit vehiculum, nunc functum officio humidum tenueque superest, quale serosum quod ex vasis in vesicam defluit*, quæ sunt verba Galeni; *de tued. in sanit.*

in quibus & crassiorũ partium, quæ urinæ hypostasin largiuntur (de qua postea) origo ostenditur, & ejus serositatis, quæ urinæ cum sudore est communis. Hæc enim si copiosior fuerit, (ut plerumq; est) quam ut insensibili transpiratione *per exiguos illos corporea molis meatus sive poros, quorum non modo reliquum corpus universum, sed & tota cutis plena est*, discuti possit, *ex vasis*, ut hic habet Galen., intellige, ex extremitatibus vasorum *defluit* vel potius refluit, eâdem scil. quâ cum humore perrexerat via, in venas & arterias majores & hinc ad emulgentes dictas, ut eleganter ostendit Lud. du Guardin, qui etiam modum, quo id fieri possit, tradit, talem scil. qualẽ in vino & aqua invicem permixtis videmus. Nam si substantia unius libræ vini alteri libræ aquæ affundatur, hîc magna quantitas substantiæ vini in mini-

ibidem.

Inst. Med. l.1.c.23.

ma

ma comminutæ deſcendit, ibi multum ſubſtantiæ aquæ aſcendit, minimâ particulâ minimæ particulæ invicem locum cedente. Neque tamen, id quod nonnemini dubitationem movere poſſet, humores alios alimentarios, quos ita remeando pervadit, peregrinis quibusdam tincturis inficiet, tùm ob familiaritatem, quam cum venoſo genere obtinet, tum quia adhuc partes aliquas benigniores ſibi remixtas habet, quibus temperatur, & quas pro renum vel veſicæ nutritione adhuc utiles ſecum avehit.

Ex toto ergo locis undiq; confluens ſeroſa ſuperfluitas, à Renibus attrahitur per emulgentes, quæ tam Venæ cavæ quam Arteriæ magnæ hirudinum inſtar appoſitæ ſeroſiora exugunt, ſanguinemque à circumflua & excrementitia humiditate repurgant. Cui ſeroſæ humiditati utrum renes ſolam præſtent

Colaturam an verò ulteriorem in illis subeat concoctionem, sedulò inquirendum est. Appositè à quodam Ægidio, in veteri exemplari, dictum reperio, urinam ita dici, quia sit in renibus una, hoc autem concoctione fieri verisimile est. Sed ipsa renum organizatio id clarè ostendit. Nam ex vena & arteria renum substantiam subintrante, membraneum vas conflatur amplum, in plures ramos diductum, per quorum ramorum substantiam tanquam per colum in renum corpus serum percolatur, ibique coqvitur. Neque enim credibile est, in tanta viarum perplexitate & notabili seri mora calorem otiosum esse posse, renum præsertim, qui calidiore temperie sunt præditi. Cœterùm utrùm ex serosa hâc massa aliquam sibi partem pro nutrimento in transitu decerpant (id quod plerique negant, & ex ijs

Lau-

Laurentius) præter authoritatem Galeni,† qui id passim innuit, dilucidè nobis confirmat Fallopius * *A venis, inquit, ac arteriis transfunditur omnis sanguis aquosus ad renes, huic similitudine substantiæ consequitur serum. Sanguis postea retinetur pro nutritione, qui quia parum ob tenuitatem alit, multus subinde attrahitur, atq; ideò multum seri continuo subsequitur, quod retento sanguine tanquam noxium expellitur.* Quibus verbis non tantum indicatur id, quod à renibus in alimentum assumitur, sed & attractionis ratio, quòd fiat quadam consequutione, eleganter ostenditur; quod tamen de sero venarum & arteriarum tantùm obtinere videtur, ut quod non purum & impermixtū, sed sanguine multo adulteratum attrahitur; Nisi etiam omne serum propter partes quas continet salsas à renibus trahi, dicere velimus.

Anat. l. 1. ca. 21.
† *3. d. facul. nat. & 4. de us. part.*
* *in Observ. pag. 179.*

Nam præter ichorem ſanguinis, quod apud omnes, qui Galen. hic ſequuntur, in confeſſo eſt, partem aliquam ſalis reſoluti, meliorem ſcil. & quaſi florem à renibus in alimoniam arripi, tanquam proprium condimentum, eorum temperamentum ſatis arguit, ut qui Veneris excitationi à natura deſtinati ſunt, & proprium ſalacitatis ſubjectum communiter judicantur. Salem autem ad Venerem valere, præter Pharmaciæ teſtimonium Plutarch. confirmat, cum eum ſeminalem vigorem expergefacere ſcribit. Et huc reſpexiſſe videtur Campanel. †quando ſcri cineribus renes enutriri ſtatuit. Clarius autem idipſum adſtruit Paracelſus, qui de ſale loquens ejusq; ſeparatione, *in ſtomacho*, inquit, *eſt ſeparatio craſſa, in hepate ſubtilior, in renibus ſubtiliſſima, & inde nutrimentum ſumunt renes.* Verum, ne quid hîc dubij

† *Med. l.* 1. *c.* 5. *art.* 4.

† *d. Tart. l.* 4. *c.* 4.

dubij relinquatur, non solâ ad nutrimentum consecutione, sed propriâ etiam attractricis renum ad aquosam humiditatem determinatione, serositatis attractionem fieri, indicio est aquositas illa, quæ omnis alimentariæ portionis non sanguineæ tantum, sed & salsæ penitus expers, per vesicam expurgatur; quale est primæ concoctionis serum, quod sanguinei ichoris particeps non est, aliquando etiam nec salis, ut in extremis cruditatibus, in quibus nihilominus urina copiosè profunditur. Neq; etiam solius expultricis vi ad renes deturbabitur, cum causa nulla sit, quare in renes potius, quam in alias partes decumberet, nisi peculiaris adesset renum tractus. Causam autem hujus attractionis non ad incognitam renum proprietatem cum Galeno referimus, (quoniam manifesta dari potest) sed ad propriam renibus siti- *loc. cit.*

culositatem, quæ ipsis tùm temperamenti, tùm alimoniæ, salis videl. ratione convenit, uti colligitur ex Paracel. qui de renibus agens, habet hæc verba, notatu certe dignissima: *Illa autem membra, quæ debent humiditatem habere, per vim attractivam attrahunt humiditatem, & illa attractio per sal est. Nam sitis semper venit ex sale.* Ita ergo sese habet attractio in renibus, cujus idonea notitia quantum ad accuratam urinæ cognitionẽ momenti adferat, ex posterioribus evidens evadet.

d. Tart. l. 4. c. 1.

Dum autem ita nutritioni suæ incumbunt renes, simul serosum excrementum perfectius elaborant, partim quatenus absumtis partibus tenuioribus reliqua magis incrassant, partim quatenus jugi & multa percolatione per tenuissimas renum papillas, partes ejus magis exæquant, & salsas etiam exacuunt,

acuunt, unde urina non tantum consistentiam puriorem & clariorem acquirit, sed & splendidam & micantem, plane quemadmodum lixivium multa colatione clarius redditum, acutum quid micare conspicitur; denique quatenus bilem eadem ratione attenuatam urinæ per minima miscent, unde aureus in illâ color refulget. Atque ita duo ista in Urinario liquore primario consideranda. Consistentia scil. & Color suam in renibus determinationem & modificationem accipiunt, nisi quod aliquæ adhuc ejus immutandi partes etiam Vesicæ relictæ sunt.

Quare postquam per mediam renum substantiam velut per filtrum percolata est serosa substantia, per ureteres tanquam per duas fistulas à vesica attrahitur, ubi collecta quicquid habet restibile nutritioni aptum, id vesicæ in alimoniam im-

pertit, sive ea lotij ramenta sint, sive tenuis quædam muccago vesicę temperamento proportionata. Ipsa verò loci inquinatione correpta, odorem tanquam in cloaca ingratum trahit, quemque adeò hospitij testem circumfert. Etenim vel hoc ipso à reliquorum animalium sive subjugalium lotio distingui, ex re monet Reusnerus. Quod verò Herc. Saxonia ejusmodi urinam alterandi facultatem vesicæ adscribit, qualis est in mammis mutandi sanguinem in lac; id solâ conjecturâ nititur, eâque contra omnem rationem. Nam etsi sedimentum urinæ naturaliter album sit, id tamen non vesicæ, sed potiùs ventriculo debetur, prout ex Cardano suo loco ostensuri sumus; serum autem qvare semper album non est? Nec est qvod qvis dicat, id propterea fieri, qvod serum ejusmodi albedinis

in VVil. l.1.c.2.

dinis

dinis minus sit susceptivum. Nam ita saltem seqveretur, urinam, qvo diutius retineatur, eo albicare magis, cujus tamen planè contrarium evenit; nam qvo longius hæc in vesica moram trahit, eo devenit coloratior sive propter jugem caloris actionem, sive etiam qvod interea plus bilis ei remisceatur, ut Galeno placet.

Denique Urina in vesicæ fundo collecta & restagnans, beneficio musculi sigmoidis tamdiu retineturedonec vel onere naturam gravans vel qvalitate irritans à vesicæ expultrice per veretrum tanqvam siphonem exprimatur (in viris) cujus canalis qvia oleoso humore oblinitur, ut constat ex Gal. nonnunqvam urina aliqvid inde oleositatis trahit, vel saltem lubricitatis ejus, qvæ in urina sentitur. *14 de us. part. 11.*

Atqve hujusmodi est seri urinarij per totam Nutritionis regionem,

nem, in ventriculo ſcilicet & liene, meſaræo, hepate, venis & arteriis, ipſo corporis habitu, denique renibus & veſica, generatio; Principaliter quidem à concoctrice cujusque, ſive alteratrice facultate, quæ ſi rectè ſe habeat, non utilia tantum, ut alendo corpori ſint quam convenientiſſima, elaborat, ſed & ipſa excrementa, qvantum poteſt, excoqvit, ijsque optimam, qvam qvidem ſuſcipere poſſunt formam, inducit: Minus principaliter ab expultrice & attractrice facultate, cùm aliorum tum præcipuè venoſi generis, &, quæ urinarium liquorem tanquam propria emunctoria excipiunt, renum & veſicæ. Nam cum expultrix & attractrix facultas ita in viſcerum œconomia comparata ſit, ut quaſi porrectâ invicem manu altera alterius actionem promoveat, in ſeri tamen

men separatione, ut qvod tenue expultricis actionem facilius eluderet, naturæ providentiâ attractrix validior existit. Ita ergo & venæ serum expellunt, & renes attrahunt, renes autem attrahunt vehementius; qvod totidem ferè verbis confirmat Laurentius: *Urina,* inqvit, *partim trahitur à renibus, partim venarum vi pellitur. Sed in ea expurgatione seri renum vis attractrix valentissima est, venarum expultrix levissima.* Eodem modo renes iterùm expellunt serum, & vesica attrahit, vesica autem attrahit magis, idqve ex sententia Hippocratis, qui omnes partes ex angusto in amplitudinem desinentes tanqvam per fistulã attrahere docet. Quanta tamen etiam expultricis facultatis sit vis, præsertim excitatæ, vel ex hoc exemplo intelligere licet, qvod cum Vilnæ essem, in qvo-

Lib. 1. *An. c.* 21

qvodam ægro contigit, qvi cum à non obſcuri nominis Medico medicamentum catharticum accepiſſet, neqve de veſicæ obſtructione qvicquam medium monuiſſet, ſumto pharmaco, cum non multò poſt veſicæ diſtenſionem à propulſa urina ſentiret, naturâ expulſionem fruſtra tentante maloque ingraveſcente, medicam primùm opem implorare cæpit, ſed qvæ tam cito à Pharmacopæo accurari non potuit, quin prius præ nimia diſtenſione ruptâ veſicâ urina per os erumperet, mortemque ægro miſerabilem accerſeret. Verum nos de naturali conſtitutione nunc agimus, in qua hæ,| expultrix ſcilicet & attractrix facultates ſeſe naturaliter habent, ſibiqve harmonicè ſubordinantur. Ab his itaque non tantùm urinæ qvantitas dependet, ſed etiam ipſa conſtitutio, cum, ſiquidem

dem genuinam excrementi naturam inducere debeat, eam neque nimis citò expelli, neque diutius retineri conveniat. Sed hæc de liquoris urinarij generatione dicta sufficiant.

CAPUT III.

Vrinæ (ratione liquoris) optimæ Delineatio. Requisita ejus sex, eorumque explanatio.

SUperiori capite Urinæ in universo corpore Generationem persequuti sumus, in quo si omnia à natura rectè fiant, & singula in agendo harmonicè, prout ostendimus, conspirent, URINA inde oritur Optima, quæ scilicet est CONSISTENTIA MEDIOCRI ET CLARA, COLORE SUBAUREO, QUANTITATE MODERATA, ODORE ACRI, *d. Vrin. c. 7.*

ACRI, EOQUE INQUINANTE POTIUS QUAM FOETIDO, SAPORE SALSO, GRAVITATE AQUAM PLUVIAM HAUT MULTUM SUPERANTE, qvæ ſunt ſex urinæ hominis ſani & perfectâ valetudine utentis requiſita. Et hæc quidem ex dictis maximam partem manifeſta ſunt, ut tamen omnis, qvæ circa illa evenire dubietas poteſt, tollatur, de ijs adhuc qvædam diſtinctè dicenda ſunt.

Primum autem CONSISTENTIAM reqvirimus *Mediocrem*, id eſt, talem, quæ inter tenuem & ſpiſſam ſive craſſam media ſit, ita tamen ut ad ſpiſſitudinem nonnihil inclinet, cujuſmodi conſiſtentiam urinæ duplici de cauſa conciliari diximus: Primò, qvatenus aqvoſa humiditas, cum coctionem in benignius reſpuat,

ſpuat, à calore magis excoquitur & incraſſatur, tenuitate eductâ; quâ ratione etiam aqvam marinam craſſiorem & ſimul ſalſam reddi Ariſtotel. author eſt; cui conſentiunt Macrobius *& Lucret. † qvi non ad aliam qvam hanc cauſam maris denſitatem referunt. Secundo quatenus ſal reſolutum illi permiſcetur & colatione incorporatur, tali videlicet qvalem in corpore calore jugiter cooperante fieri convenit. Atque ita debita urinarii liquoris inſpiſſatio juſtæ & idoneæ concoctionis indicium eſt. Nam etſi concoctio procedat attenuando, initio videl. propter heterogenearum partium ſeparationem, ultimatè tamen ſemper agit incraſſando propter homogeneorum coitionem, non in utilibus tantũ & alimentis ſed & excremẽtis, ut ex puris generatione videre eſt.

2. Meteor. c. 2.
* *l. 7. Satur.*
† *lib. 2.*

CLARAM autem *conſiſtentiam* hic

hic eam intelligimus, quæ à ſpirituum per totum urinæ corpus diffuſorum & omnia æquantium copia proficiſcitur. Calor enim & concoctio æquant omnia, ita ut quamvis etiam alieni aliquid urinæ permiſtum ſit, id perſpicuitatem tamen non tollat, quemadmodum in febricitantium urinis in ſtatu ſæpe apparet, quæ primùm redditæ, etſi ſpiſſiores nonnihil, attamen lucidæ conſpiciuntur & æquales, calore autem & ſpiritibus exhalantibus turbantur, ſubſiſtente nonnunquam multo & copioſo craſſamento. Ab hac diverſa eſt illa, quæ ſubſtantiæ tenuitate eſt talis, vel etiam à ſalis ſive terrei ſicci in humido acuitione, qualis claritas eſt in aqua fontana & limpida, in qua dum terreum ſiccum, quod multa humiditate dilutum eſt, exacuitur, ſuaq; altritione aſperantem humiditatem conſumit, ejusmodi ſplen-

ſplendor exoritur. Et hæc ſolâ colaturâ rebus conciliari poteſt, quemadmodum etiam lixivium, vinum aut alius quivis liquor colaturâ clariora redduntur, habetque locum etiam in ſumma cruditate: Prior vero quæ eſt à ſpirituum copia, tantum in concoctione, ideoq; cum ſubſtantiæ aliquali craſſitie ſemper conjuncta eſt; hæc enim concoctionem infallibiliter arguit, ſicut claritas coctionis inſuper exaltationem, idq; propter caloris robur, oſtendit.

Alterum requiſitum COLOREM facimus, eumq; *Subaureum* vel etiam *Aureum*, quorum ille auro impuro ſimilis, ſive aureis Rhenanis; hic auro puriſſimo ſive aureis Ungaricis conferri poteſt. Eum autem à bile oriundum diximus. Equidem non ignoro, quî Magni quidam Viri, inter quos Cl. D. Sennertus, de ſale hic ſentiant, cui adeò

præ

pertit, sive ea lotij ramenta sint, sive tenuis quædam muccago vesicę temperamento proportionata. Ipsa verò loci inquinatione correpta, odorem tanquam in cloaca ingratum trahit, quemque adeò hospitij testem circumfert. Etenim vel hoc ipso à reliquorum animalium sive subjugalium lotio distingui, ex re monet Reusnerus.

in VVil. l.1.c.2. Quod verò Herc. Saxonia cujusmodi urinam alterandi facultatem vesicæ adscribit, qualis est in mammis mutandi sanguinem in lac; id solâ conjecturâ nititur, eâque contra omnem rationem. Nam etsi sedimentum urinæ naturaliter album sit, id tamen non vesicæ, sed potiùs ventriculo debetur, prout ex Cardano suo loco ostensuri sumus; serum autem qvare semper album non est? Nec est qvod qvis dicat, id propterea fieri, qvod serum ejusmodi albe-

dinis

dinis minus sit susceptivum. Nam ita saltem seqveretur, urinam, qvo diutius retineatur, eo albicare magis, cujus tamen planè contrarium evenit; nam qvo longius hæc in vesica moram trahit, eo devenit coloratior sive propter jugem caloris actionem, sive etiam qvod interea plus bilis ei remisceatur, ut Galeno placet.

Denique Urina in vesicæ fundo collecta & restagnans, beneficio musculi sigmoidis tamdiu retinetur donec vel onere naturam gravans vel qvalitate irritans à vesicæ expultrice per veretrum tanqvam siphonem exprimatur (in viris); cujus canalis qvia oleoso humore oblinitur, ut constat ex Gal. nonnunqvam urina aliqvid inde oleositatis trahit, vel saltem lubricitatis ejus, qvæ in urina sentitur. 14 *de us. part.* 11.

Atqve hujusmodi est seri urinarij per totam Nutritionis regionem,

nem, in ventriculo scilicet & liene, mesaræo, hepate, venis & arteriis, ipso corporis habitu, denique renibus & vesica, generatio; Principaliter quidem à concoctrice cujusque, sive alteratrice facultate, quæ si rectè se habeat, non utilia tantum, ut alendo corpori sint quam convenientissima, elaborat, sed & ipsa excrementa, qvantum potest, excoqvit, ijsque optimam, qvam qvidem suscipere possunt formam, inducit: Minus principaliter ab expultrice & attractrice facultate, cùm aliorum tum præcipuè venosi generis, &, quæ urinarium liquorem tanquam propria emunctoria excipiunt, renum & vesicæ. Nam cum expultrix & atrractrix facultas ita in viscerum œconomia comparata sit, ut quasi porrectâ invicem manu altera alterius actionem promoveat, in seri tamen

men ſeparatione, ut qvod tenue expultricis actionem facilius eluderet, naturæ providentiâ attractrix validior exiſtit. Ita ergo & venæ ſerum expellunt, & renes attrahunt, renes autem attrahunt vehementius; qvod totidem ferè verbis confirmat Laurentius: *Vrina, inqvit, partim trahitur à renibus, partim venarum vi pellitur. ſed in ea expurgatione ſeri renum vis attractrix valentiſſima eſt, venarum expultrix leviſſima.* Eodem modo renes iterum expellunt ſerum, & veſica attrahit, veſica autem attrahit magis, idqve ex ſententia Hippocratis, qui omnes partes ex anguſto in amplitudinem deſinentes tanqvam per fiſtulã attrahere docet. Quanta tamen etiam expultricis facultatis ſit vis, præſertim excitatæ, vel ex hoc exemplo intelligere licet, qvod cum Vilnæ eſſem, in qvo-

Lib. I. *An. c.* 23

qvodam ægro contigit, qvi cum à non obſcuri nominis Medico medicamentum catharticum accepiſſet, neqve de veſicæ obſtructione qvicquam medium monuiſſet, ſumto pharmaco, cum non multò poſt veſicæ diſtenſionem à propulſa urina ſentiret, naturâ expulſionem fruſtra tentante maloque ingraveſcente, medicam primùm opem implorare cæpit, ſed qvæ tam cito à Pharmacopæo accurari non potuit, quin prius præ nimia diſtenſione ruptâ veſicâ urina per os erumperet, mortemque ægro miſerabilem accerſeret. Verum nos de naturali conſtitutione nunc agimus, in qua hæ, expultrix ſcilicet & attractrix facultates ſeſe naturaliter habent, ſibiqve harmonicè ſubordinantur. Ab his itaque non tantùm urinæ qvantitas dependet, ſed etiam ipſa conſtitutio, cum, ſiquidem

dem genuinam excrementi naturam inducere debeat, eam neque nimis citò expelli, neque diutius retineri conveniat. Sed hæc de liquoris urinarij generatione dicta sufficiant.

CAPUT III.

Vrinæ (ratione liquoris) optimæ Delineatio. Requisita ejus sex, eorumque explanatio.

Superiori capite Urinæ in universo corpore Generationem persequuti sumus, in quo si omnia à natura rectè fiant, & singula in agendo harmonicè, prout ostendimus, conspirent, URINA inde oritur Optima, quæ scilicet est CONSISTENTIA MEDIOCRI ET CLARA, COLORE SUBAUREO, QUANTITATE MODERATA, ODORE ACRI, *d. Vrin. c. 7.*

ACRI, EOQUE INQUINANTE POTIUS QUAM FOETIDO, SAPORE SALSO, GRAVITATE AQUAM PLUVIAM HAUT MULTUM SUPERANTE, qvæ sunt sex urinæ hominis sani & perfectâ valetudine utentis requisita. Et hæc quidem ex dictis maximam partem manifesta sunt, ut tamen omnis, qvæ circa illa evenire dubietas potest, tollatur, de ijs adhuc qvædam distinctè dicenda sunt.

Primum autem CONSISTENTIAM reqvirimus *Mediocrem*, id est, talem, quæ inter tenuem & spissam sive crassam media sit, ita tamen ut ad spissitudinem nonnihil inclinet, cujusmodi consistentiam urinæ duplici de causa conciliari diximus: Primò, qvatenus aqvosa humiditas, cum coctionem in benignius respuat,

ſpuat, à calore magis excoquitur & incraſſatur, tenuitate eductâ; qvâ ratione etiam aqvam marinam craſſiorem & ſimul ſalſam reddi Ariſtotel. author eſt; cui conſentiunt Macrobius * & Lucret. † qvi non ad aliam qvam hanc cauſam maris denſitatem referunt. Secundo quatenus ſal reſolutum illi permiſcetur & colatione incorporatur, tali videlicet qvalem in corpore calore jugiter coöperante fieri convenit. Atque ita debita urinarii liquoris inſpiſſatio juſtæ & idoneæ concoctionis indicium eſt. Nam etſi concoctio procedat attenuando, initio videl. propter heterogenearum partium ſeparationem, ultimatè tamen ſemper agit incraſſando propter homogeneorum coitionem, non in utilibus tantũ & alimentis ſed & excremẽtis, ut ex puris generatione videre eſt.

2. *Meteor. c. 2.*
* *l. 7. Satur.*
† *lib. 2.*

CLARAM autem *conſiſtentiam*

hic

ſplendor exoritur. Et hæc ſolâ colaturâ rebus conciliari poteſt, quemadmodum etiam lixivium, vinum aut alius quivis liquor colaturâ clariora redduntur, habetque locum etiam in ſumma cruditate: Prior vero quæ eſt à ſpirituum copia, tantum in concoctione, ideoq; cum ſubſtantiæ aliquali craſſitie ſemper conjuncta eſt; hæc enim concoctionem infallibiliter arguit, ſicut claritas coctionis inſuper exaltationem, idq; propter caloris robur, oſtendit.

Alterum requiſitum COLOREM facimus, eumq; *Subaureum* vel etiam *Aureum*, quorum ille auro impuro ſimilis, ſive aureis Rhenanis; hic auro puriſſimo ſive aureis Ungaricis conferri poteſt. Eum autem à bile oriundum diximus. Equidem non ignoro, quî Magni quidam Viri, inter quos Cl. D. Sennertus, de ſale hic ſentiant, cui adeò

præ

præ bile urinæ tincturam adscribere velle videtur. Neq; diffiteor probabile esse, quod in hanc causam Sennertus adfert: *Lixivium, quod fit aqua cineribus affusa, multò magis tingi, quam aquam, in qua sal purus resolvitur, idq; ob partes adustas sali adhuc adhærentes, quales etiam salso & seroso urinæ humori adhærere possint.* quin & hoc addo vinum à proprio tartaro habere, quod nunc sic nunc aliter tingatur & coloretur; Et, in urinæ destillatione sal ejus terreum calcinatum & intra vas destillatorium conclusum, colores mirabiles edere conspicitur, prout in spagyrica urinæ resolutione ostendemus. Verum cum ijdem Authores nonnisi dubitanter hac de re pronuntient, & Sennert. quoque bili suas in tingendo partes non tantum non deroget sed & manifeste ibidem attribuat, remq; ita in medio relinquat; non modo

d. Vrin. cap. 5.

modo veniâ dignum, verum etiam laudabile mihi existimo sententiam suspendere, ea in re, in quâ Virorum in Medicina Principum acumen defecerit. Idque eò magis, quod hujus etiam decisionis fundamenta non levia jam in præcedentibus à nobis jacta sunt, prout oculatus Lector, cui vel maximè placere studemus, agnoscet. Illud autem in quo rei cardo vertitur, & quod apprimè huc facit nunc addidisse sufficiat; quod utrumvis dicatur, pronunciandi ratio eadem constet, cum & bilis generationem, ejusque cum sero permistionem tam exactam, ut nulla arte nisi sola Vulcani obstetricatione ab invicem separari possint; & salis in humore exaltationem, sublimationem ac perassationem talem, quæ liquorem tam exquisito & temperato colore imbuat, nonnisi ab eodem caloris gradu proficisci, ratio-

ni quam maximè ſit conſentaneum.

QUANTITATEM urinæ *Moderatam* definimus quantitate potus aſſumti, nixi authoritate Galeni, idque non ſtrictè & quaſi cosmocritico circino re punctim notatâ, ut ludit Reuſn. ſed ferè, & ſervata proportione; nihil hic Reuſnerum morati, qui in contrarium diſputat, ſed in vanum. Nam & omnia ſeſe naturaliter habentia hîc requirimus, & proportionem etiam. Non quaſi tantum urinæ profundi neceſſe ſit, quantum potus aſſumtum eſt, ita ut matulæ cum cantharis conferendæ ſint ijs, qui Galenum Anteſignanum ſequuntur, ut Reiſ. cavillatur; neque enim urina ſimul & ſemel effunditur, ſicuti nec potus una vice ingurgitatur, ſed per intervalla, eaque ſæpe longiora: Verum, quatenus pro potus & liquidorum aſſumtorum

copi-

copiâ majore vel minore, urina nunc copiosior, nunc minus copiosa redditur. Nam minimam potus esse partem, quæ vel pro partium nutrimento exsugitur, vel artuum irrigationi destinatur, vel per insensibilem transpirationem absumitur, agnoscet is, qui etiam cibis hujuscemodi humiditatem inesse non paucam considerare voluerit.

ODOR *inquinans potius quam fœtidus* est is, qui & qualis in vesicis animalium mactatorum extractis nares ferit, hic enim urinæ communicatur à vesica, & à proprio vesicæ humanæ temperamento urinæ etiam humanæ proprius est & peculiaris; Quem callere debebant Medici juniores, ni aliquando à mulierculis, quæ per fraudem eorum peritiam nonnunquam exploratum eunt, vel delusum, decipi velint. Nam & hydromel, syrupus acetosus, jus cicerum, aqua croco-

myrrhea, urina bovis, ovis &c. urinæ humanæ perquam similes sunt, à quibus omnibus ferè non aliter quam odoratu discernitur. *Acrior* autem oritur à spiritu putidulo ab humoribus dum coquerentur abraso (omnis enim concoctio quodammodo putrefactio est) qui in vesicam delatus propter loci inquinationem, ut diximus, adhuc magis olidus redditur; Atque id est, quod in urina ita nares mordicat, concoctionis celebratæ nota.

SALSUM *saporem* urina habet à Concoctione idonea & sale resoluto. *Longa enim coctione saporem salsum produci aut saltem prodi & veluti in actum deduci, absumta aquei humidi copia qua terreum siccum diluebat & occultabat*, in confesso est. Nam & jura carnium & leguminum quanto diutius coquuntur, tanto salsiora redduntur, ut clare docet Gal. *Sal autem resolvitur

Zuing. d. mict.

3. d. nat. alim.

in

in omni coctione, exquisitius tamen in secunda, à proprio hepatis fermento, si Helmontio credimus; copiosissimè in tertiâ, propter terrei sicci majorem superassationem & quasi calcinationem, idque in ultima separatione. Magni ergo ad urinæ dijudicationem in quibusdam morbis, præsertim quos Salinos Chymici appellant, momenti res est, urinæ saporem exploratum habere. Neque hoc eò dico, quasi Medico author esse velim, ut urinam deguster, quemadmodum fecit Asclepiades; nam id à Medici dignitate alienissimum est: Sed ut ne, si ab alio hac de re moneri possit, negligat; quod mihi, cum Posnaniæ medicinam facerem, usu venit in Magnate quadam Paralysi laborante, cujus urina cum tenuis, cruda & modica, salis non separati sed ad habitum & nervos rapti suspicionem faceret, à puella ex famulitio

quæ ſive obſequio ſive imperio urinam deguſtarat, edoctus ſum, ne veſtigium quidem ſalſi ſaporis in urina deprehendi; quæ quia talis perſtabat, morbum longiorem fore prævidi, & quandam remedijs, quæ ibi haberi poterant, non nihil ſublevata, domum concederet, brevi tamen poſt, ut comperi, recidivam paſſa eſt, humore ſalſo & acido novam ineunte, digeſtis temporibus, fermentationem.

GRAVITATEM denique urinæ laudatæ metimur gravitate aquæ pluviæ, quæ leviſſima eſt, & à qua haut multum urina abeſſe debet. Etſi enim ſal aliaque tenuia recrementa urinæ miſceantur, quæ eam graviorem reddere poſſint, tamen à ſpiritibus quibus imprægnatur, levior exiſtit. Ita urinam puerorum etiamſi craſſiorem & à ſubjugalium lotio non multum differentem, leviorem deprehendimus

dimus urinâ ſenum tenui, ob ſpirituum copiam majorem, ut jam ſupra annotavimus. Definitè autem Joh. Bapt. ab Helmont. urinam hominis juvenis & ſani, annorum novendecim, qualis media eſt, aquæ pluviæ pondus 96. granis ſuperaſſe ex propria experientia affirmat. Joh. Rhenanus autem urinam moderatam pondere ſex unciarum circumſcribere videtur.

d. Hum. Gal. c. 4.

Vrocrit. cap. 2. aph. 11.

Hujusmodi ergo eſt Urina, optimæ ſignum ſanitatis, quæ, quia omne perfectum eſt menſura ſui imperfecti, reliquarum omnium amuſſis erit & regula à qua quoquomodo urina deflectat, eadem hominem ab optimo ſanitatis ſtatu deflectere, indicio ſit. De quo nunc ordine ſermonem inſtituemus.

CAPUT IV.

Vrina in Liquore ab Optima recessus; Et ejus Differentia.

AB *Optima* urina (ratione liquoris intell.) receditur, primariò in Consistentia & Colore, ut quæ principaliter in urinæ liquore considerantur, secundariò etiam in Quantitate, Odore, Sapore & Gravitate, quæ minus principaliter spectantur.

In Consistentiâ urina deflectit ab optima, in defectu, & est *Tenuis*, vel excessu, & est *Crassa*. Atq; utraque vel *Clara* vel *Turbida*. Neque enim crassa tantum turbida esse potest, ut communiter Authores sentiunt; sed & tenuis, ut patet in recenti tenui cerevisia. Quemadmodum contra crassa potest esse perspicua, ut in cerevisia forti bene cocta & bene depurata videre est.

In

In Colore à laudata Urina receditur itidem in defectu vel excessu. In Defectu sunt colores illi, qui citra Aureum, tanquam medium consistunt, in Excessu, qui ultra. Citra aureum primo loco & in extremis est Color *Albus*, qui est vel intensè talis; ut *Crystallinus* blanck wie ein Crystall) & *Aqueus* limpidæ aquæ similis (Wasser-klar) vel remissè, qui est triplex: *Lacteus* (Milch-Farb) *Glaucus* instar Cornu pellucidi (Lichte-Farb) & *Charopus* s. blandus color, instar pilorum cameli vel unguis humani (Bleich-Fahl) Album sequuntur *Subspiceus* instar paleęzcę (Bleich-Gelbe) *Spiceus*, s. Palearis & Pallidus, instar paleæ hordei (Liecht-Gelb) & *Citrinus*, piso maturo similis (Erbes-Fahl) Hos excipiunt *Subaureus* & *Aureus* medij, ille etiam *Subfulvus* dicitur (Reinisch Gold-Gelb) hic *Fulvus* (Ungrisch

grisch Gold-Gelb) Ultra Aureum qui consistunt, commodè ad quinque Classes referri possunt. In Prima classe sunt: *Subflavus* (Eyer-Dotter-Gelb) ut carthami flos aqua dilutus; *Flavus* sive Croceus (Saffran-Gelb) instar infusi croci; & *Rufus*, id est, rutilus, igneus & flammeus (Feuer-Roth) in Secunda sunt hi: *Subrubeus* s. Palmeus (Leich-Farb) bolo Armeno similis: Rubeus qui vel *Purpureus* (Purpur-Farb) vel *Sanguineus* (Blutt-roth) Deinde Vineus (Roth Wein-Farb) ut in vino & hepate omnis generis animalium, Et *Passeus* (Dunckel-Roth) ut in musto decocto. Ad Tertiam referri possunt *Venetus* s. cæruleus, Italis Beretinus dictus (Braun oder Mahr-Farb) *Violaceus* (Violen-Farb.) In Quarta numerantur, *Oleaceus*, s. Oleagineus (Gelb-grün/Oel-Farb) *Oleosus*, s. Oleaqueus (Fahl-

(Fahl-Grün) *Brassiceus* (Röt-licht-Grün) brassicæ communi apud nos similis; *Porraceus*, f. Prassinus (Bleich-Grün/ Laub-Grün) Viridis (Graß-Grün) *Æruginosus* (Kupffer-Grün) *Smaragdus* (Dunckel-Grün.) In Ultima classe collocantur: *Lividus* f. Plumbeus (Mahl-Schwartz/Bley-Farb) *Subniger* (Erd-Farb) terræ non luto similis; *Ater* (Pech-schwartz) *Niger* (Kol-Schwartz) rc.

Ita & in alijs Urinæ bonæ requisitis à mediocritate receditur, videl. in Quantitate, ut cum Urina est *Multa*, f. Copiosior, vel *Pauca* & Parcior: In Odore, *Inodora* vel *Fœtida*: In Sapore, *Insulsa* vel *Salsa admodum*: *Et in* Gravitate, ut *Ponderosa* f. Gravior.

Atq; hæ sunt majori ex parte Urinæ, quæ ab Aurea mediocritate descifcit, Differentiæ, præter quas,

si quæ occurrunt, eas suo loco adducemus, ne hic dividendi multitudine, à quo etiam hæc nostra tractandi ratio abhorret, lectori molestiam creemus.

CAPUT V.

Urina ab Optima recessus Ratione Materiæ. Defectus materiæ Propriæ. Accessio materiæ Alienæ, quæ duplex, Humorosa & Vaporosa.

QUot quibusve modis Urina ab optima deflectat, haut difficile est designare: At quibus de causis accidat hic lapsus, diffinire; adeoq; tantæ & tam infinitæ varietatis genuinas ubiq; assignare Causas, non æquè facile est. Conabimur id tamen, si non majore successu, quam hactenus factum, diligentiâ saltem non minore accuratioreq;, memores illius triti:

Felix

Felix qui rerum potuit cognoscere causas.

Cum autem tria ad urinarij liquoris constitutionem concurrant, Materia, Efficiens & Instrumentalis causa, ut ex superioribus constat, quomodo cujusque harum ratione Urina à laudabili temperie deficiat, distinctè considerandum est; siquidem in accurratam urinæ cognitionem animum introducere velimus.

Primùm autem Ratione *Materiæ* ab optima temperatura Urina descicit, vel ob *Defectum Materiæ Propriæ*, vel ob *Alienæ accessionem*. MATERIAM PROPRIAM quod attinet; ex qua urina generatur, eam, supra qvadruplicem fecimus: Materiam Potulentam, Sal resolutum, Bilem & Spirituosam substantiam; qvorum si unum alterumve defecerit, in urina sit lapsus, isque pro ejus, qvod deficit, ratio-

ratione & natura. Nam Defectu Materiæ *Potulentæ*, urina oritur *Pauca*, ut in Ascite experimur, in qua Materia aqvosa ad abdominis capacitatem convertitur, Et in sudoribus, in quibus ad habitum corporis exhauritur.

Defectu *Salis* resoluti, urina fit *Tenuis & Aquosa*. Nam si ex sententia Chymicorum mechanici ventriculi & hepatis salem è cibo non resolvant, & à reliquo nutrimento sequestrent, sed ejus impuritates ad partium anatomiam ferantur, ratione locorum, in quibus confluentiam inveniunt, variorum morborum causa sunt & origo. Quippe si in cerebro continuitatem inveniant, imminent Vertigo, Apoplexia, Epilepsia & hujusmodi (quanquam non radices sed fructus horum morborum hoc in loco collocent elegantiores Hermetici) si in nervis, Paraly-

Querc. Tert. grav. aff c.8.

ralysis, si in articulis, Arthritis &c; In quibus morbis urinas esse Tenues & Aquosas experientia docet, & Hippocrates attestatur: *Comitiali morbo laborantibus*, inqvit, *urinæ Tenues & Crudæ, præter morem, sine repletione, morbi invasionem significant.* Hujus tamen rei causam aliunde Galenici arcessunt, qui Tenues hasce urinas esse volunt ob crudorum humorum copiam, à qvibus dum calor nativus suffocatur, officium deserit & concoctio negligitur; adeoq; potius ad Efficientem referunt, in quâ & nos hac de re pluribus agemus. *Coac. Præd.*

Defectu *Bilis*, qvæ urinæ non permiscetur, urina devenit *Alba Aquea* instar aqvæ puræ, propter scilicet tincturæ privationem. Bilis defectum hic consideramus, non qvatenus non generatur, nam id fit vitio Efficientis, sed qvatenus generata alio fertur. Fertur au-

autem non ad unum locum. Aliquando ad Caput, ut in Phreniti-
4. Com. aph. 72. de, in qua Galenus albas urinas adeò calamitosas esse prodidit, ut nullum servatum viderit, propter scilicet bilem ad cerebrum trans-
in Coac. latam. Et Hippocrates: *Vrina aquosa quandoque significat affectiones statim turbulentas, vigilias inducentes & delirium, quæ sanguinem largum fundunt* (propter bilis acrimoniam scilicet quæ expultricem stimulat) *& sic solvuntur.* Nonnunquam ad Ventrem divertit, unde Dysenteriæ metus. Hoc etiam
11 Epid. observavit Hippocr. *Bioni*, inqvit, *Critiæ & Mnesistrati Vxori, urinæ erant albæ aqueæ & hi postea evasere dysenterici quod bilis acris deponeretur ad ventrem.* Est, cum rapitur ad habitum corporis, ut in Ictero, qvod si diu duret, omnium calculo Hydrops sequitur; an qvod fermentum partium, earumqve glu-

ten

ten acrimonia bilis ſubvertitur? Denique, ad partem aliquam in habitu corporis viam affectat, ut in Eryſipelate. In his ergò omnibus urina initio apparet *Alba-aqvea ſ. Diaphana*. At, inqvies, qvid ergò differet urina qvæ eſt à defectu Salis ab illa, quæ eſt à defectu bilis? Reſpondeo, Hoc, quod ibi Urina eſt *Diaphana ratione Subſtantiæ*, ſ. propter ſubſtantiæ tenuitatem; hic eſt *Diaphana ratione Coloris*: Nam etſi hæc propter ſalis præſentiam poteſt eſſe corpulentior, tamen propter ejusdem in humido acuitionem ſplendorem obtinebit. Adeoqve à Salis abſentia, Urina ſemper eſt *Tenuis* & *Aquoſa ſed Obſcurior* (Waſſer-Farb) ut aqua leviter cocta, in qva ſcilicet ſuperficiali coctione partes qvædam craſſiores ſeparatæ ſunt, unde tenuior, reliquæ autem non exæquatæ, unde obſcurior: At à defectu

bilis,

bilis, eſt *Aquea-Candida* (Waſſerklar) ſicut aqua lixivialis; niſi cum bile, etiam ſalſa portio abrepta ſit, tunc enim Aquæ crudiori ſimilis erit, ut prior, expers ſcilicet ejus quæ eſt à ſale, coruſcationis.

Atque hæc ita ſe habent in totali bilis abſentia. Quod ſi verò bilis urinæ etiam miſceatur, ſed non eâ doſi, qvæ naturæ rectè operanti eſt conveniens, Urina qvidem tingitur, verùm ad Aureum colorem non adſpirat, ſed prout bilis vel plus vel minùs, ejusque vel magis vel minùs tinctæ ei miſcetur eo vel longius à medîo recedit, vel proprius ad medium accedit. Ita ſi bilis pallida & dilutior moderatè urinæ miſceatur, *fit Subſpicea*; pariter ſi & flava nonnihil: Si autem bilis flava modica admiſceatur, Urina erit *Spicea*, prout etiam à pallida copioſa. Nunqvam ta-

tamen Aurea, qvia ut rectè Argenterius infert, urina colorem accipit ab humore vel ſimili vel intenſiore, non autem remiſſiore, qvalis eſt bilis pallida, & flava etiam minori ſcil. quantitate admenſa. Et hinc apparet, quomodo etiam Subſpicea & Spicea &c. bilis debitæ defectum in Urina oſtendant.

Defectu *Spirituoſæ ſubſtantiæ* urina apparet *Obſcurior* & quaſi *Extincta*, propter nullas vel leves Caloris & Spirituum impreſſiones; ut & *Gravior*, liquore nulla ſui parte attenuato alleviatoque.

Materiam *ex qua urina conſtat* ſupra innuimus eſſe *Serum triplex*, ſive triplicis concoctionis; quatenus ſcil. ſerum primę concoctionis impregnatur ſecundæ concoctionis ſero, & hoc viciſſim tertię, unde Urina ſuum acquirit conſiſtentiæ modum. Quodſi ergo Serũ ventriculi ſ. primę concoctionis

non

non expectata alterius sortè foras propellatur, Urina fit *Aquosior* vel *Suppallida*, juri carnis semicrudæ similis, qualis est, qvæ non diu à pastu redditur. Si Serum qvod ex aquosiore Chymi substantia à massa sanguinea in jecore segregatur, foras festinet, non præstolata mixtionem seri venarum & arteriarum, Urina erit *Suppallida* vel etiam *Pallida* instar juris carnium excocti, qvalis est, quæ aliquanto à pastu longius exit. Verum cum hęc fiant interventu Causæ efficientis, attractricis potissimùm renum & vesicæ, ex iis plenius intelligentur, quæ de his suo loco dicturi sumus.

Sequitur, ut de *Materia Aliena* nunc agamus quæ scil. præter Naturæ rectè operantis ordinem & modum Urinę permiscetur. Ea autem duplicis est generis, Humorosa & Vaporosa.

HU-

HUMOROSAM primùm quod attinet, quanquam Humores non tam ipsi urinæ Liquori, qvam ejusdem contentis videantur materiam præbere; Tamen ad Liquoris constitutionem dupliciter possunt concurrere: Primò, quatenus secundùm partem sui tenuiorem f. ichorem, unum cum sero urinario liquorem constituunt, qvod etiam faciunt humores ipsi fusi scilicet. Deinde etsi ab ipso liquore in urina separentur, & ita ad Contentorum sortem transeant, quatenus videlicet suo colore & & tinctura liquorem inficiunt. Notandum enim hîc primùm & ante omnia id, qvod Plato omnium primus docuit quemlibet humorem habere suum proprium ichorem, eumque à communi sanguinis sero diversum. Unde Montanus Veronensis: *In quolibet succo*, inquit, *est quadam pars subtilis, quam vocamus*

in Tima

in q. de Febr.

camus Ichorem. Hos autem Ichores humorum prius in corpore separari, quam ipsos humores, ibidem indicat his verbis: *Cum putredo accedit in corpus humorum, primum accenditur hæc putredo in ipsis ichoribus humorum, quoniam longè sunt aptiores ad putredinem & longè inflammabiliores.* Id quod etiam sine putredine fit, præsertim in redundantia humorum. Ichoribus affines sunt humores illi, quos Hippocrat. ὑγρὸν αἷμα appellat, propter majorem scil. fluxibilitatem, quales sunt bilis tenuis & sanguis minus excoctus, omnesque pituitosi fluores. Solidi autem & magis consistentes, Hippocr. στερεὸν αἷμα dicti, ut pituita vitrea, bilis vitellina, melancholicus succus, etsi ob visciditatem & coagulum, minus ad fluorem apti, aliquando tamen vi valida funduntur & urinæ miscentur. Unde Vassæus Epilepticorum

de Iud. Vrin.

rum urinas craſſas & pellucidas propter pituitæ vitreæ reſolutionem apparere ſcribit. Qui verò jam proximiores ſunt humori partium genitali, vel etiam in partium ſubſtantiam jam concesserunt, adeoque particula partis ſtatui debent, ij colliquatione attenuati urinario liquori permiſcentur, quemadmodum & adeps, qui jam partibus annumerari meruit.

Ab his itaque Urina multifariam alteratur, tùm in Conſiſtentia, tùm maximè in Colore, quo etiam tanquam minimè fallaci indicio ſe produnt. Nam cum quatuor in univerſum ſint humores, ex doctrina Hippocratis, Sanguis, Pituita, Bilis & Melancholia, qui, prout temperie diverſi ſunt, ita colore ab invicem diſcriminantur; Sanguis rubedine, Pituita albedine, Bilis flavedine, Melancholia nigredine, quilibet *de Nat. hom.*

proprij

proprii coloris ratione Urinam tingere & colorare aptus est. Verùm cum horum humorum ingens in corpore sit latitudo, nec minor colorum in ipsis varietas, de singulis separatim videbimus.

Si SANGUIS urinario liquori misceatur, Urina erit *Subrubra*, *Rubra*, *Prærubra*, at *sine splendore* semper. Hæc autem varietas in mixtione sanguinis contingit, tùm ratione copiæ, quâ miscetur; tum ratione substantiæ, quatenus videlicet sanguis vel tenuis est vel crassior. Nam si tenuis misceatur isque non valdè copiosus, urina erit *Subrubra*; si crassior etsi non multus *Rubra*, quemadmodum & à tenui multo; si crassus & multus admisceatur, erit *Valde-Rubra*. Verùm hæc obvia sunt: Majoris intererit notasse, sanguinem hic ex triplici potissimum fonte concurrere. Primùm ex Venis, idque in

Plethora sanguineà, in qua, quia nimia sanguinis copiâ venæ distenduntur, hac vasorum compressione ichoris sanguinei nonnihil simul cum sero exprimitur ad vias urinarias, unde *Subrubea* urina in Plethoricis. Aliam ejus rationem adfert Actuarius cujus verba quia digna sunt notatu, hîc adscribam: *Illud referre convenit, quæ Vrina appareat, ubi exauctus fuerit sanguis. Vbi igitur abundaverit Sanguis, non etiam ab ejus naturali spiritu facilè ventilatur. Nam cum arctata sint veluti ejus Vasa à multitudine, tum sanies quædã ingeneratur in ipso sanguine. Quemadmodum in Corporibus, quæ nullo modo ventilantur, atq; humiditatem quandam participantia, jam in putredinem vergunt, Pus quoddam generatur, quod vulgò dicitur uligo. Ergo in Subrubeis urinis apparet in sanguine generatam esse saniem quandam, qualis est uligo; quæ* *d. Caus. Vrin. l. 6. c. 9.*

D *singulis*

ſingulis diebus ſpectatur in corporibus humidioribus: Quæ Sanies propulſa à Virtute ſecretrice dirigitur ad ſeductionem; ſanies enim ea cum rubei coloris ſit, fueritque prorſus collecta cum humore, illius colorem alterando mutat in ſuum. Secuudo ex Renibus, ſi videlicet renes ſanguinem ichoroſum quem pro nutritione attrahunt, non aſſimilent, ſed una cum ſero effluere ſinant & tunc Urina oritur *Subrubra* vel Rubra, ſed quæ diſtinctè *Sero-ſanguinea* dicitur; differtq; à priori quod eâ nonnihil obſcurior eſt, & minus etiam tenuis. Nam illa ab ichore ſangvinis excocti, hæc à recens nati adeoque minus defæcati portione ichoroſa oritur. Tertiò ex jecore; quatenus ſcilicet ſanguis concoctione non ſeparatus, cum urinario ſero foras permeat, à quo urina fit Rubra. Hinc Galenus *ubi amplior ſemi*

Com. 1. in 3. de Morb. popul.

semi-crudus Sanguis per urinam expellitur, rubram eam efficit. Hæc distinctè dicitur *Rubra-Cruda*, quia sangvis non secretus à sero τελείωσιν suam adipisci non potuit, sed crudior & impurior remansit, unde etiam urina hæc obscura est & Sero sangvinea crassior. Ab his diversa est Urina Prærubra, distinctè *Sanguinea & Cruenta* dicta, quæ fit propter admistionem sangvinis alicunde fluentis & cum ordinaria urinæ materia mixti. Verum quia sanguis qui integer urinæ permiscetur, tandem per grumosam aliquam subsidentiam in fundum descendit & sedimentum facit, hujus fontes in Contentis aperiemus. Hoc autem omnibus, quæ à sanguine tinguntur, urinis commune est, quod splendorem non habent, ut initio diximus, sed ejusmodi omnes calorem, qualẽ aqua ferè, in qua animaliũ recens macta-

torum carnes ablutę sunt, per quod etiam ab urinis, quæ à bile rubra ortum habent, distinguuntur.

Si PITUITA Urinæ permisceatur, Urina oritur *Lactea* (remissè) *Glauca*, vel *Charopa*, item *Oleosa*, denique *Viridis* & *Livida*. Pituitam hic intellige potissimum eam, quæ est in Venis & in habitu corporis. Nam quę extra vasa consistit in certis receptaculis, Capite videlicet, Pulmone & Ventriculo, cum & parum ab illa differat, de ea suo loco dicemus. In venis ergo, si Pituita alimentaris proportione reliquos humores superet, ut in Plethora pituitosa, ichor pituitosus utplurimum cum sero separatur, unde Urina *Glauca*, *Tenuis*: Si verò etiam qualitatem alienam induat, ut in Cacochymia pituitosa, in colore quidem non multum evariat, nisi simul consistentia ejus consideretur. Nam primùm omnis

nis pituita resoluta Urinam reddit *Glaucam non-Crassam*, sicut omne phlegma liquefactum Urinam reddit *albam lacti acetoso similem*. Quę autem incrassata est à frigiditate pituita, si illa sit Humor crudus, à remissiore frigiditate ortus, Urinam reddit *Lacteam & Crassam instar fungi*; si Pituita mucosa, distinctè Frigida dicta, *Glaucam & Mucosam*; Si Pituita Vitrea sive Albuminea, quæ minùs crassior sed magis lenta, à majori scilicet frigiditate, *Crassam & Pellucidam*, si scil. æqualiter fundatur, aliàs Crassam *genituræ similem*; Si Pituita valdè viscida & valdè cruda, Urinam *Oleosam* reddi volunt. Quæ vero incrassata est à calore pręternaturali, terrestreitatem pituitæ adurente & inspissante, ea calore evanescente in colorem pullum degenerat & principio quidem ex *Viridi-nigricantem*, deinde *Lividam*, ultimò,

extincto scilicet calore, *Subnigram* etiam urinam reddere apta est. Verum ejusmodi Urinæ cum plerumque sint turbidæ, & postea reside-ant, ubi quieverunt, quæ sit materia, quæ colorem induxerit, facile apparet. Per habitum corporis diffunditur mucilago quædam pituitosa vid. inter corum & carnes, & inter musculos & nervos & ossa, statuam ungens ad motum, quæ si redundet ut in corporibus densis, & constipatione cutis, cum sero ad urinarios meatus convertitur, & Urina redditur *Oleosa*, ita tamen ut ad candidius victo pallido vergat. Aliæ autem superfluitates pituitosæ, quæ in substantia partium coacervantur, ut in Leucophlegmatia f. Ictero albo Paracelsi, in quantitate potius urinæ quam colore notabilem mutationem solutæ insequunt.

BILIS quæ Urinæ miscetur, alia

est

eſt citra aduſtionem, undè Urina fit *Subſpicea, Spicea, Citrina, Subflava, Flava, colore Auraico*: Alia cum aduſtione, unde Urina *Crocea, Rubea, Purpurea, Vinea*, deinde *Violacea, Praſſina, Æruginoſa*, denique *Atra & Nigra.* Gradus colorum, qui ſunt citra medium, hîc collocantur, quatenus ſunt à bile præternaturali. Peccat autem Bilis vel Quantitate, vel Qualitate, vel Secretione. Quantitate ſolâ, ut in Plethora bilioſa, in qua bilis copioſius generata, Urinæ *Subflavum, Flavum, & Auraicum colorem* conciliat, qualis ſcil. eſt mali aurei ad rubedinem vergentis. Qualitate quæ peccat, ea duplicis eſt generis. Primò, quando Bilis, quæ ordinarie cum ſero expurgari debebat, in venis detenta à calore alteratur & abſumtis partibus purioribus rubicundior redditur, non aliter quam mel torrendo rubeſcit; unde oritur

Urina *Rubra-Lucida*, ad distinctionem ejus, quæ est Rubra à sanguine. Eadem si à calore ulterius aduratur, virorem contrahit, quemadmodum & mel diutius perafflatum virescit, & fit Porracea ac Æruginosa, à qua Urinam *Vineam* & *Passeam* reddi vult Actuarius, alij *Violaceam* reddi magis placet. Secundò, quando Bilis alimentaria proportionem excedens alienam qualitatem contrahit, Vel sola, & fit Vitellina à qua Urina *Crocea*; Vel cum alio humore juncta & symbolisata, idque cum Sanguine; cujus ichor si modicâ bile perfundatur, oritur Bilis Rubra, priore tenuior, à qua Urina *Ruffa*, id est flammea: Si verò bilis prædominans partem sanguinis integri inficiat, fit Bilis Flava, à qua Urina *Purpurea*; si autem partem seri, fit Bilis Pallida, à qua Urina *Spicea*, *Citrina*, &c.

lib.1. de caus. Vrin. c. 11.

Se-

Secretione peccat Bilis: Vel quando pars ejus fæculentior à Chymo non segregatur in jecore, sed cum sanguine permixta manet, ut in Ictero ab obstructione folliculi fellis, in quo urina redditur *Rubra & Crassa* instar vini ex rubro nigricantis, & in qua si linteum immergatur flavo & croceo colore tingitur: Vel quando amurca biliosa è cysti in partem aliquam, præsertim in mesenterium effunditur, ubi aliorum permistione in Isatideam & Cœruleam denique in Atram retorridam calore præternaturali degenerat, qualis etiam Urinam nunc *Prasinam*, nunc *Æruginosam*, nunc *Atram* reddere apta est.

Hoc fortè hîc aliquis non ineptè quæsiverit; Utrum illa bilis, quæ è bursa fellis fertur ad intestina, etiam ad Urinæ tincturam facere possit. Ansam inquirendi

nobis præbet Galenus, quando Urinam, quæ diutius in vesica retinetur (etiam eam, quæ v. g. manè secunda redditur) coloratiorem reddi vult, eò quod plus bilis ei remisceatur. Hæc autem bilis tunc non erit ex jecore, cum peractâ jam secundâ concoctione, nihil amplius bilis generetur; neque ex tertia concoctione, nam in hac serum omnia biliosi recrementi vestigia exuit, & sale imprægnatior (ut sic dicam) evasit, neq; etiam ex Venis, ut Authores innuunt, quia quæ ex recens nato sangvine massam sanguineam circumfluit rudior bilis, ea adhuc cum secundæ concoctionis sero abrepta est, ut supra ex Arist. ostendimus. Cum ergò aliundè non possit, restat, ut ex intestinis pars ejus bilis, quæ fæcibus instar salis, ne ulterius putrescant, aspergitur, ad urinarios meatus derivetur. Id quod cum eo congruit, quod

supra

ſupra diximus, humiditatis ſcilicet non parum ex ipſis inteſtinis ad veſicam exſugi. Et elegans Mercurialis obſervatio hoc imprimis confirmat, qui ſe notaſſe ſcribit, Clyſtheres ex ſola ſapa factos urinas atras reddidiſſe :. Clyſtheres autem ultra inteſtinum colon vix pervenire norunt Medicinæ tyrones. Vias etiam per quas hæc bilis ad Urinam pervenire poſſit, non ignorant, qui emiſſititios in Anatomicis oculos habent.

Si MELANCHOLIA *vel Sanguis nigrefactus* Urinæ permiſceatur; Urina reddetur *Glauca* primùm, tùm *Charopa, Cœrulea, Livida, Atra, Nigra*. Sanguinem nigrefactum Melancholiæ jungimus, quia ſanguis calore præternaturali aduſtus & ſubtilioris evaporatione ſiccior redditus, in humorem atrū degenerat. Melancholiæ autem Metropolis eſt Lien, craſſæ ſcil. &

fæculentæ Majorum decreto, tenuioris Recentiorum quorundam placito, quos egregiè Sennertus accommodat. Illud ſcitum eſt, quod ſagax recentiorum induſtria pervidit; Partem humoris melancholici, defæcatiſſimam ſcilicet per arterias, quibus Lien copioſiſſimè intertextus eſt, ad cor transvehi, pro ſpirituum alias facilè reſolubilium baſi: Quid, inquies, ſpiritus è fæce ſanguinis? Immò verò, Aunon è fæce vini ſubſtantia ſpiritus vini puriſſima elicitur? Et certè, Affectionum melancholicarum ſedes in corde quærenda eſt, ſicuti fons in Liene. Neque urina nos hîc deſtituet. Verùm circumſpectione opus, nec ἐν παρόδῳ hæc transſiguntur. Riſu profectò an potiùs commiſeratione digni ſunt, qui vulgò de neſcio quibus anguſtiis cordis ferè ex quavis urina hariolari ſolent, nullo

l. 1. Inſtit. c. 9.

nullo sæpè argumento, imò vix unquam, ut nunc sunt res, ullo, nisi quod res est ad divinandnm impendio faciens, an dicam ad fallendum? Sed hos sinamus suâ abundare fortunâ. Terrestrior ergo sanguinis pars, quæ ad lienem divertitur, si qua dilutior cum Urina expurgetur, urinam reddit *Charopam*; si meracior, *Cæruleam*, quod etiam de melencholia nutrimentitiâ in venis obtinet, quæ tamen potiùs *Glaucam* efficit. Utraque coacervata & fusa, *Lividam*; A calore autem superassata, in Critica quidem evacuatione *Subnigram*, aliàs calore expirante, quẽadmodum igne in carbone extincto *Nigram*, & si bilis quippiam remixtum fuerit, *Atram*, propter splendorem, qui est à bile, & Talem etiam à sanguine exusto. Porrò intuitu morborum: quia in Arquato sive Ictero nigro limosum

recre-

recrementum non sequestratur à massa sangvinea, sed per venas distributum totum corpus nigredine inficit, hoc soluto Urina redditur *Livida*, eaque *Crassa*, qualis in omnibus evacuationibus Criticis. Quæ verò in hæmorrhoidum venis coacervatur fæculentia sanguinis, hæmorrhoidibus suppressis & materiâ ad urinarios meatus conversâ, Urinam *Cœruleam, Lividam, & Atram* reddit, prout materiam habuerit vel sanguinem adustum, vel bilis & melancholiæ miscellam. Idem de menstruorum suppressione censendum est, in quibus quia sanguis crudus & serosior materiam suppeditat, ut Iodicum αὐτοψία docet, idem propter retentionem perassatus Urinam *Lividam* potius quam *Atram* efficit.

Qui communium humorum censum jam superarunt humores & in partium familiam adscripti

sunt,

ſunt, eos colliquatione attenuatos cum Urina excerni ſuperius diximus, ex communi videl. ſententiâ, nunc veſtigaturi veritatem. De pinguedine, quæ nonnunquam urinæ innatat, nemini dubium eſt, hanc adipoſæ partis colliquationi deberi. Sed de hac in Contentis. Hîc de *Oleaginoſa* Urina quæſtio eſt, eâ ſcilicet quæ oleum colore & ſubſtantia refert, utrum fiat propter rei oleoſæ mixturam, ſive ille ſit humor colliquatus, ut Fernelius ſentire videtur, ſive ſubſtantia alimentalis urinæ admixta, ut Herc. Saxonia & Reuſnerus ſtatuunt: Utrum verò propter aliorum humorum admiſtionem ut Argenterio placet, qui ex bilis flavæ & atræ una cum parte pituitæ commiſtione & concurſu urinas oleaginoſas reddi author eſt: idque eâ ratione, ut à bile flava Urina habeat flavedinem quandam, ab atra livi- *de Urin. cap.* 13.

ditatem.

ditatem cum ſplendore, à pituita vero craſſitiem cum quâdam viſciditate, cujus ſententiam etiam Sennertus approbat. Verùm ut in re non parvi ad Praxin momenti diligentius verſemur: Videtur quidem ſententia Argenterij cum veritate conſiſtere non poſſe. Nam quis in corpore δημιεργὸς & tam curioſus diſpenſator hos humores ita ex amuſſim concinnabit, ut inde hujuſmodi non alius color reſultet, & concurrentibus ſæpè aliis humoribus tam conſtans harmonia nequicquam turbetur; Imò quomodo in eodem morbo bilis pallida & atra conjungentur, cum illa remiſſioris caloris ſit ſoboles, hæc exauсti & vehementis? ut nunc taceam morbos, in quibus ejuſmodi urinæ apparent, quales
de Vrin. c. 14. Fernelius facit Pthiſin, febrem hecticam & hydropem, vix quicquam atræ bilis fovere, & contra, qui ſunt morbi

morbi atrabilarij, in ijs nescio an unquam ejusmodi urina conspecta sit: Ita ut hîc Argenterius meliorem Pictorem egisse videatur, coloribus videl. miscendis, quam Medicum, quem alterum oculum semper ad Praxin & experientiam intentum habere oportet. Neque hæc Sennertum latuêre, quapropter meliora adserre jubet eum, qui possit. *de Vrin. c.6.*

Quod quanquam difficile esse quivis intelligat, tamen Veritatis causa deserenda non est, neque etiam Principum Medicorum, si quidem id salva veritate possit. Primùm ergò largimur hoc Sennerto, oleum & pinguia cum aqua non misceri, fatemurque cum Galeno, *ita comparatum esse omne pingue, ut reliquis humoribus invehatur*, adeoque, si Fernelii sententia, ut & Actuarij, ex quo ille suam hausit, de pinguedinis colliquatione acci- *3. Epid. com. 3. t. 27.*

cipi-

cipienda ſit, eam ſine dubio reji- ciendam eſſe ſtatuimus. Grave e- nim eſt teſtimonium Galeni: *Nos pinguedines fluitantes ſupernatare vidimus, verum nunquam excretam talem Urinam* (videlicet ut oleum pinguem) *neque in medio pinguia pendere, multo minus ſubſidere*; tan- tum abeſt ut illam æqualiter Urinæ miſceri credendum ſit. Verum ſi Fernelius aliique qui hanc ſenten- tiam communiter amplectuntur, non intelligant colliquationem pinguedinis, neque etiam σύντηξιν humorum, videl. propriè dictam, quâ humores, qui jam ſunt parti- cula partis, per ἀναςοιχείωσιν à ca- lore reſolvantur (nam quæ à calo- re concreſcunt, calore viciſſim non liquantur, ſed indurantur, uti rectè Ariſt.) Sed quemadmodum Gal. ipſe alicubi loquitur, *quaſi σύντηξις* videlic. quatenus alimentarius hu- mor, qui ad partes affluit, à calore præter-

ibidem

4. met. cap. 6.

3. d. Sym. Cauſ. 2.

præternaturali non tam coquitur, quam inquinatur, unde cum in partium substantiam cedere non possit, una cum sero exit, ad quod exsolutio consequitur: Tunc hæc sententia non tantum absurda non est, sed & veritati quam maximè affinis. Neque enim aliàs ratio dari potest, quare in corporum consumtione, &, ut Gal. *in resoluto corporis habitu*, tales Urinæ appareant. Et hoc ipsum fortassis voluerũt, quanquam non expresserunt Herc. Saxonia & Hieron. Reusn. quando ille quidem oleosam urinam reddi statuit, quod substãtia alimẽtalis, quæ est materia calidi innati in partibus solidis, sicut oleũ ignis in lucerna, urinæ admisceatur; Hic vero, quia partes à calore nimio labefactatæ, alimentum, quod ad illas defertur, retinere non possunt; sed simul cũ Urina effluere sinunt; quæ omnia eodẽ recidunt. Verũ ex his non-

d. Vrin. cap. 3.

in Wil. cap. 24.

drum

dum liquet, quomodo inde Urinæ verè Oleagineæ reddantur. Etenim, cui Hercul. Saxonia persuaserit, quod substantia alimentalis, quia sese habet instar olei respectu calidi innati, propterea etiam Urinam oleosam reddat. Nam hic non respectus & habitudinis, sed coloris & substantiæ ratio requiritur, quam si eandem cum oleo obtinet, quomodo non innatabit, ut oleum; ita ut, quam contra Fernelium Hercul. Saxonia adducit, ratio, eadem hîc in ipsum retorqueri possit. Hoc ergo Authoribus hisce, nam & Reusnarum eadem difficultas urget, enucleandum fuisset. Quare, ut hunc nodum solvamus, dicimus rationem Galeni valere tantùm de pinguedine vera & de oleo consummato, non de quovis alio humore, qui sola unctuositate & perspicuo crassamento oleum referat (nam & myr-

& myrrha dat unguentum sine oleo, teste Plinio) Et hujusmodi est unguinosus ille humor, quia tertiæ concoctionis inquinatione una cum sero effertur; quod serum si insuper à calore adulterino superassatum, ut in hectica febre, livorem contraxerit, ejusmodi cum substantia colorem, qualis ferè est olei, ritè producere potest. Atque hæc etiam causa est, (id quod Sennertum maximè movit, ne huic sententiæ accederet) quare aliquando sine ægri detrimento, imò interdum cum commodo, ut Gal. observavit, talis Urina reddatur, tunc videlicet quando in morbi concoctione hujusmodi sero bilis, ea maximè, quam Hippocrates *pituitescere* scribit, commiscetur; nam ita eodem modo ejusmodi Urinæ facies exsurgit, etsi paulò ad flavedinem magis vergens.

Lib.13. cap.1.

Et sic etiam Sennerto (opinor) satis-

ſatisfaciemus. Nam ſine bilis atræ inauſpicato interventu, tot, quot Argenterius colores & conditiones deſiderat hic dare poſſumus: Nimirum à bile flavitiem, à ſero lividitatem (de quo cap. ſequenti) cum ſplendore conjunctam, à pituitoſitate bilis (qualis eſt Bilis Majoris Famæ dicta (cum aliquali craſſitie viſciditatem. Verum majoris etiam facimus, habere hîc haut obſcurè ſuffragantem ipſum Galenum, qui utrumq; Vrinæ Oleaginoſæ genus complexus, eam quidem, quæ ad candidiorem tendit colorem, humorum cruditatem (qualis etiam in dictâ colliquatione) quæ vero vehementer pallida, ita ut ad flavum accedat, bilioſum humorem denotare affirmat. Atque ſic tandem melior forte jure hîc concludere poſſumus verbis Argenterij & Sennerti: *Hac ratio videtur dictare, afferant melio-*

ra

... qui possunt, de Causis harum Vrinarum.

Passi sumus calamum excurrere, studiose Lector, amore Veritatis, quam si Praxi confirmari senties (huc enim omnia referenda ducimus) mecum ipse gaude, ex inexplicabilibus hisce Labyrinthis inventum esse exitum: Sin aliud ostenderit & res & ratio, amicè monte, habebis non minus promtè sequentem, quam nunc habes praeeuntem, modo, ut diximus, meliora adferas. Hactenus de Humoribus.

VAPOROSA Materia sunt *Vapores & Flatus*; iisdem Parentibus oriunda proles, nec nisi substantiae modo differentes. De flatibus enim hic agimus, non qui in Ventriculo & Intestinis, sed qui in Venis generantur. A *Vaporibus* autem Vrinario sero permistis, Vrina fit *Obscura & Nebulosa*

losa à spiritu videl. nebuloso & ab inæquali partium, vaporum cum aqueis locatione, ob quam perspicuitas ei adimitur.

id. Cris. cap. 12. A *Flatibus* Urinario Liquori permistis, Urina fit *Turbulenta*; authore Galeno, qui perturbari Urinas ob permistionem flatuosi spiritus, veluti in vinis novis fervescentibus, docet; Idem fit in cerevisia recenti, alijsque liquoribus, in quibus quamdiu fermentatione, tanquam vicariâ coctionis, spiritus illi flatuosi attenuati non fuerint, non clarescunt, sed turbidi manent; & sic in Urina. Ad flatuum autem generationem requiritur Efficiens & Materia commoda. Efficiens est Calor imbecillis ex Galeno, sive ille sit talis 3. d. sym. caus. 2. per se, *qui in materiam agit quidem, cœterùm diminutè, eamque quodammodo dissolvit, non tamen prorsus conficit, unde oritur flatuosus*

spiri-

ſpiritus; ſive materiæ ratione, quam ſuperare nequit. Materia ſive Minera flatuum hîc eſt humor crudus & viſciditatis particeps in venis contentus: Crudus quidem, quia Cruditas proprius flatuum fomes, ex quo ſuſcitantur, at viſciditatis particeps, propter cohærentiam in diviſione, quæ fit attenuatione partium, neceſſariam. Oritur ergo Flatus aliquando ratione Efficientis, quando videl. calor nativus debilis in materiam agit, ſed tenuiter, adeoque vaporem tantum attollit. Vel, cum calor qui eſt contra naturam, materiam non coquit, ſed ſaltem agitat, unde φῦσα: Aliquando ratione Materiæ, quando Color etiam aliàs ſatis fortis in materiam agit ſed rebellem, quam cum conficere non poſſit, attenuat & in flatum reſolvit. Atque hæc in febribus potiſſimum ſpectantur, in quibus ſcil. crudus hujuſmodi &

E mu-

musteus humor in venis continetur. Unde si propter tenuem humorum in venis concoctionem, vapores tenues cum sero misceantur, Urina redditur Clara, id est, non-Turbida, sed quæ postea turbatur, distinctè *Turbata* dicta, non quod Urina, dum vapores exitum quærunt, hujus commotionis ratione, turbetur, ut Capivaccius existimat, (quomodo enim tanti tumultus à tam leni evasione, immo quomodo Urinam turbabunt exeuntes, quam non turbabant conclusi eamque pervadentes,) sed quia vapores, qui per liquorem divisi Urinam quomodocunque æquabant, coëuntes & in aquam condensati perspicuitatem turbant. Si verò à materiæ, sive crudæ sive jam aliquatenus coctæ, agitatione vehementi, flatus multi & crassi Urinæ permisceantur, Urina fit Turbida, & quæ talis manet, vulgo *Subjugalis*

de Vrin. c. II.

lis dicta, quod propter flatus crassos & valde permistos materia descendere prohibeatur. Quodsi autem à materiæ attenuatione jam, spiritus turbidus cum Urina remixtus exeat, Urina quidem mingitur *Turbida*, sed quæ postea clarescit, spiritu qui ex agitatione Urinam turbaverat, secedente, & materia propriâ gravitate à reliqua Urina sese segregante, ac in fundo subsidente, non secus atque aquam limosam subsidendo clarescere videmus. Et hæc consentanea sunt doctrinæ Galeni, qui pejorem esse dicit Urinam, quæ Clara redditur & postea turbatur, quia saltem inchoatæ concoctionis vestigium adest, non ita malam, quæ Turbida redditur & talis permanet, quia natura jam aggressa est coctionem, minus adhuc malam, quæ redditur Turbida & postea clarescit, propter scil. majorem coctionem. *1. d. Crif. cap. 11.*

 His

His meritò subnectimus *Spiritus præternaturales* & igneos, qui à Caloris febrilis in corpore dominantis incendio Urinæ permiscentur eamq; inflammant; unde Urina fit *Ardens* & *Scintillans*, quæ tamen non multò post extinguitur, spiritibus videl. evanescentibus & reliquâ Urinâ turbatâ; idque nunc citius, nunc tardius. Tardius quidem, quod in Urina adhuc sit aliquis fomes, flammam alens; & hæc Urina eatenus caloris quidem in corpore dominium, sed cum luctâ & residuâ pugna, propter scil. fomitem restibilem in venis, indicat. Citiùs, quod deficiente in Urina fomite, qui flammam sustinebat, calor cum spiritu tenues vanescat in auras; & hæc fomitem etiam morbi jam consumtum, adeoque plenam Naturæ victoriam nunciat, quæ etiam priori ferè *Ardentior* existit, quod spiritus ignei & febriles

les ſoluti jam & hoſpitium cedentes, copiosè una cum Urina exeant, quam tamen omnium citiſſime fugitivi deſerunt. Quod ſi vero non cito ejusmodi Urina turbetur, ſed diutius talis maneat, nunc Naturæ luctam, nunc prælium, ſubducta videl. ratione, ſemper autem ambiguam victoriam, propter fomitem morbi copioſum, deſignat. Hæc quia à nemine ſunt tradita, quotidiana tamen obſervatione ſese in oculos & ſenſus ingerunt, ratione certa ſtabilita adducenda duxi. Tu, Lector, judica & fruere. Verum ne diutius Calori prævaricemur, illi quoque ſuum, quem meretur, nunc dabimus locum.

CAPUT VI.

Vrina ab Optima recessus Ratione Causæ Efficientis, quæ est Intemperies, tùm Frigida tùm Calida; & hæc duplex; vel simpliciter sic dicta, vel Febrilis.

EFFICIENTEM Liquoris Urinarij Causam supra assignavimus Calorem sive Temperiem convenientem: Et eam quidem Principalem, quatenus Concoctricis Facultatis est instrumentum; Minus principalem verò, quatenus est Instrumentum tùm Attractricis tùm Expultricis Facultatis. Quare cum Calor à debita Temperie deflectit, harum omnium ratione in Vrina ab optimo scil. & naturali statu lapsum fieri necesse est. Deflectit autem Calor à naturali sua symmetria, vel in defectu, vel in excessu; ibi est Intemperies Frigida hîc

hîc Calida. Et Calida quidem in ſolo caloris auctu conſiſtit, & Intemperies Calida ſimpliciter dicitur, vel in inflexione & ſtatu Naturæ ejusque operationibus contrario; & Intemperies vel Calor Febrilis appellatur. De ijs nunc ſigillatim dicemus, & primò quidẽ quatenus ad Concoctionẽ referuntur.

INTEMPERIEM *Frigidam* metimur Caloris in activitate defectu. Per hanc igitur Materia Vrinæ ordinaria vel non generatur, vel non ita ut debebat generatur, videl. non ea quantitate aut ijs qualitatibus ornata, quæ ipſi per naturam conveniunt; quorum omnium ratione Vrina evariat. Nam quatenus Calor materiam aquoſam à reliquis & craſſioribus non ſeparat, Vrina fit *Pauca* vel *Multa* quidem ſed *Inalterata*, materia potulenta effluente, qualis ingeſta fuerat, quod in extrema

refrigeratione contingit, quatenus vero separatam non debitè & convenienter coquit &, ut Galen. loquitur, *in humorem convertit*, ita fit *Tenuis*; & Talis etiam à sale non resoluto, in quâ si natura non protrudat salsum humorem ad cutim, ut in scabie, mors ex doloribus aliquando sequitur, Cardani testimonio, &c.

1. d. Crif. cap. 12.

Com. in Hip. Aph. 72. f. 4.

Verum cum hæc fiant in certis partibus, in quibus color variè determinatur, de ijs in particulari videndum est. Nam si Ventriculus intemperie frigida laboret, prima aquosæ materiæ incrassatio rectè non fit, quæ etiam succedanea concoctione plenè non corrigitur; Idem de Liene existima, qui etiam ventriculi concoctionem contagione offendit, turgens præsertim & obstructus. Quod si in Jecore sit hæc Intemperies, bilis Urinæ ingeneratur, vel pauca vel temperie inferior,

ferior, qualis est Pallida, ſerum vero copioſius generatur & crudum, unde Urina *Dilutior & cruda*. Si in Corde Urina ſpiritu non imprægnatur, non quod omnis impreſſio fiat in corde, ſed quia cordis temperiem totum ſequitur; quod, ſi ſpiritu turget, etiam Urinam ingravidat; ſi vacuum à ſpiritu, inanem quoque à ſpiritu Urinam reddit. Si in habitu corporis; quia humidi effluvij nulla vel exigua abſumtio, Urina Copioſa: Denique ſi in Renibus, hi vel alimentum non aſſimilant (quod tamen rarius, nî aliæ cauſæ concurrant) vel alimentum quidem aſſimilant, ſed excrementum negligunt, unde Urina *Inæqualis*, non tamen Cruda; ut colligitur ex Galeno (cruditas enim maxime dependet à jecore & Venoſo genere) Si in veſica, Urina ultimam ſuam perfectionem non adipiſcitur quidem & *Inelaborata*

 appa-

apparet, sed tamen sine vestigio cruditatis, intellige, si Cruda ante non fuerit.

Est autem hæc Intemperies vel per se talis sive à causa frigida orta, sive à calida (ut in calore extraneo actionem caloris nativi obscurante) vel ex accidenti, impeditâ Caloris actione, ut in humorum cruditate, à qua Calor oppressus, & suffocatus coctionis munia deserit, & Vrinæ fiunt Tenues & Aquosæ, *quæ si longo tempore durent, morbos totius corporis frigidos, Epilepsiam, Apoplexiam, Vertiginem, Paralysin, Anorexiam, Hydropem, Obstructiones, Arthritides, Vterinos morbos, menstruorum retentiones similesq; affectus à cruditate & frigiditate ortos prænunciant.*

Reusn. in Wil. cap. 13.

Deinde & illud notandum, Intemperiei hujus certos dari gradus, qui quidem in ea latitudine consistunt, quæ est à Calore prorsus

ſus mortificato & extincto ad Calorem robuſtum & naturæ functionibus proportionatum. Nam ſi Calor ſit extremè enervatus, aut oppreſſus, extrema etiam cruditas apparet, ut in Vrina *Cryſtallina*, & *Lactea* ſubtili; quod ſi revocari incipiat, & quaſi reviviſcere, Vrina fit *Tenuis* & *Glauca* nec non *Charopa*; ſi ſubinde magis magisque incaleſcat, concoctioniq; incumbat *Subſpicea & Spicea* ſed *Tenuis* adhuc, quod Natura prius agat in Colore quam in Subſtantia; quod ſi invaleſcat etiam, & melior jam coctio, *Citrina & Citrangularis*, nondum tamen debitè inſpiſſata, propter materiæ contumaciam &c. At Calore ad extinctionem vergente, Vrina ſubnigreſcere incipit, & initio quidem Cœrulea, dein Livida; denique & ſubnigra apparet, ſpiritibus ſcilicet extinctis, & ſanguine jam cadaverari

incipente, qualis tum mortis ante-ambulo.

Sed nec illud ſicco pede prætereundum, Intemperiem frigidam nunc conjungi cum Humida, nunc cũ Sicca; Et in humida quidem Urina Aquoſior ſed Minus-tenuis, propter copioſiorem nutritionem, quæ eſt in humido: In Sicca autem Aquoſa & Tenuis, à ſiccitate videl. & minore nutritione: Unde Hip-

2. *Prædict.* pocr. *Vrinam momento paulò craſſiorem eſſe oportet, quam id quod in potu aſſumtum eſt; quod ſi Aquoſa ſit* (de ſubſtantia intelligit) *ſignificat hominem non poſſe nutriri.*

INTEMPERIEM *Calidã* hic conſideramus diſtinctè à Febrili, Diſtinctio autẽ eſt in eo, quod Intemperies calida ſimpliciter ſic dicta nudã Caloris exuperantiã notat ſine præternaturali illa diſpoſitione, quam Calor febrilis in Corpore inducit, & cujus ratione actiones læduntur.

tur. Et hæc etiam in ipso Corde esse potest, indeque reliquo Corpori communicari, neq; tamen propterea erit Intemperies febrilis, nisi videl. & quamdiu non est tanta, *eumq; Caloris gradum attingit, ut ad διάθεσιν illam præter naturam constituendam atque actiones lædendas sufficiat*, ut accuratè Sennertus. *de Feb. l. 3. c. 1.* Cui adde, quod in simplici Intemperie non est accensio Spiritus, qualis propriè est in Febre, quæ ideo Galeno est *Calor nativus conversus in Igneum*. Intemperiem ergo Calidam metimur activitatis in Calore excessu sine accensione febrili. Hæc autem spectatur vel generalius vel specialius. Generalius quidem ratione materiæ, in quam agit: Videl. Propriæ; ut aquositatis, quam multam exhaurit & dissipat, unde Urina Pauca; Salis, quem adurit, unde Vrina *Ignei* ferè coloris; Bilis, quam copiosiorem producit,

ducit, & coloris intensi, unde *Flava* & *Crocea*; Spirituum, quos exacuit, unde *valde Lucida:* nec non seri, quod variè alterat.

De hoc agitatur quæstio, quæ hic solvenda est: Utrum scilicet serum à solo Calore citra humoris alicujus admistionem colorari, adeoque vel lividum vel etiam nigrum reddi possit. Montanus in fieri posse negat. Affirmant alij, inter quos est Ruffus Ephesius, qui statuit, Urinam nigram in sanitate multo tempore mictam, lapidis in renibus significare generationem, idque propter tosturam seri à renibus calidioribus. Verum fallitur Montanus, nam etsi fateamur cum Argenterio, aquam solâ coctione etiam longissimâ non colorari, tamen serum non ex sola aquositate, sive humiditate aquea, sed insuper ex sale resoluto constare,

1. de Urin. c. 5.

supra

ſupra tamen probavimus. Salem autem à calore alteratum varios colores producere, jam ſuperius innuimus & qui Chymiæ gnarus eſt, dubitare non poteſt. Nam & à Vitriolo repetitis videlicet ablutionibus, quanta caloris varietas? Etne de ſale Urinæ dubites, eadem in alembico, per quem Urina deſtillata fuit, conſpicitur, pulcherrimè autem in lixivio calcis Urinæ, quod Soli expoſitum herbarum atque flammarum mirabiles colores exhibet; Ita ut, ſi authores illi manum operi admovere maluiſſent, quam otiosè ingenio ludere, adeoque plus oculis ſuis credere, quam malè natis & pejus educatis opinionibus, multa haberemus & in Medicina & in Philoſophia expedita, quæ jam quadam dubitandi conſuetudine incerta, ut plurimum & interminata manent.

Quo-

Quomodo autem distinctè serum nunc sic, nunc aliter coloretur, ex ijs, quæ suo quæque de varia in salsum excrementum caloris actione partim jam dicta sunt; partim adhuc dicentur, perspicuum erit. Hoc saltem hic addimus, colorationem seri, quæ est à sale, in tertiâ potissimum concoctione fieri, utpote in quâ & sal copiosius resolvitur, & ab igne partium potentiali quasi calcinatur, ut opes suas abundantius proferre possit: Quod si autem in renibus propter obstructionem à calculo, ut vult Ephesius, feri tostura accidat, tunc quidem serum colorem lividum contrahere posse, verùm eum tunc non tam à sale quàm à bile cum sero affluente oriri, ut quæ à calore nimio assata etiam citius, propter scil. copiosiorem tincturam, colorem è viridi livescentem, & hinc etiam subnigrum sero conciliare possit. Adjungimus

gimus & illud, colorem qui est à sale cum majore splendescentia esse conjunctum, ob acumen, quam ille, qui est à bile, cum & ille qui à bile est splendor, bili quatenus salsa est, sive sali bilioso secundæ concoctionis attribuendus sit. De Materiæ Alienæ varia à Calore alteratione præcedenti capite satis prolixe egimus.

Spec. alius autem, videl. respectu Partium, Intemperies Calida Urinam alterat potissimum ratione Jecoris & Cordis. Si intemperies in Jecore, Urina *valde Colorata*, & propter eandem Venis communicatam, eò magis, quo diutius retenta. Si in Corde, propter eandem arterijs communicatam, Lucida & *Splendens*, non tam ob copiam Spirituum quam acumen. Utriusq;, Jecoris videl. & Cordis Temperiem imitatur Totum: Jecoris quidem, ratione alimenti, quod omni-

mnibus partibus suppeditat; Cordis autem ob calorem & spiritum, quo omnia vivificat vegetatque etiam ipsum alimentum, ita ut rata rata Cordis sit major. Porro privatim jecori connectitur mesenterij φλόγωσις, ob exonerationem excrementi ad hæc loca; & Ventriculi imbecillitas, ob exhaustum humidi, cum quo calor dissolvitur. Cordis intemperie privatim participat Lien ob implantationem arteriarum, quas plus quam ducentas continet, & hic vicissim ventriculo δυσκρασίαν suam impertit, in quem fermentum pro prima concoctione inspirat. Renes propius Jecore quam Corde communicant, ob venam Cavam cui accumbunt; in quibus tamen, si calor inaroescat, vicissim alias partes validè in intemperiem rapiunt, etiam remotissimas, ut caput &c. Hæc qei in numerato habet, & communi-

nicationem partium novit, & communicationis leges & terminos, adeoque & componere hîc componenda, & dividere ſcit dividenda, is vel ſolus quam minimum circa judicium de Urinis ſalli poteſt. Sæpe etiam in partibus, in quibus Urina ultimatè coquitur, ut ſunt renes, ureteres & veſica excitatur intemperies ſolâ vicinitate, & quæ urinam non parum alterat, judiciaque confundit. Ita nonnunquam in affectibus frigidis, ut dolore Colico, & morbis vicinarum *veſicæ* partium, Urina mingitur *Rubra*, propter confluxum ſanguinis & caloris ad illa loca, in quibus natura exercetur. Et in Hydrope, in quo propter μόλυνσιν albam & tenuem urinam eſſe oportebat, Urinas videmus eſſe rubicundas & craſſas, in Aſcite præſertim, quia aqua in ἐπιγάστριῳ collecta calorem nimium ac-

acquirit, quem renibus & ureteribus communicat, unde ille urinæ color & crassities, partibus tenuioribus exhalantibus, &c.

Denique Intemperies Calida nunc conjungitur cum Humida, nunc cum Sicca, quanquam cum hac frequentius. Et si cum humida, omnia sunt remissiora, quia humiditas fervorem temperat: In Sicca intensiora omnia, siccitas enim est cos Caloris. Hæc Intemperies si intendatur in toto, efficit habitum hecticum, qui differt ab hectica febre, quia calor in eo est sine accensione, quamvis non sine emicatione majore; Si in parte aliqua, fit Extenuatio & Ariditas, quæ hectica partis nonnunquam abusivè dicitur, & ab ijsdem sæpe causis oritur, à qua hectica vera (unde etiam communiter cum illa confunditur) neque tamen est febris hectica, quamdiu scil. non accedit ob-

structio

struƈtio & fomes præternaturalis, quæ duo heƈticam faciunt. In his Urinæ prodeunt Coloratæ sed Tenues, propter causam supra ex Hippocr. adduƈtam, videl. nutritionis imminutionem maxime si extenuatio sit in Jecore, vel etiam in Renibus, in quibus scil. urina coquitur.

CALOR *Febrilis* ex calore naturali & præternaturali quasi compositus est. Ita Gal. *Pus neq; à solo calore extra naturam nec à solo secundum naturam conficitur, sed ab utroq; cum mixtus sit inflammationis calor.* Diximus autem *quasi*, quatenus scil. febrilis calor, ad calorem naturalem *ramificatur*, ut loquitur Averrôes, hoc est, ad omnes & solas partes communicatur ad quas calor naturalis se extendit, unde in omnibus & singulis partibus, in quibus febris reperitur, conjunguntur simul & coeunt naturalis calor

2. *Aph.* 47.

calor & febrilis, quemadmodum egregiè hanc ſententiam explicat, ætatis noſtræ Galenus Zacutus Luſitanus. Et talis maximè ſpectatur in Febribus Putridis ob materiæ coctionem. Nam Calor hîc conſideratur, vel quatenus materiam coquit, vel quatenus eam miſcet.

Hiſt. l. 4. quæſt. 4.

Quatenus *coquit* materiam morbificam, ita à nutritione ceſſat, neque enim Natura utriq; vacare poteſt; unde Uriua *Tenuis*, propter nutritionis defectum, ut ex Hippocr. ſæpe diximus, & plerumque etiam *Decolor*, ob cruditatem adhuc: Et talis in initijs Febrium non ſine ſpe, maximè ſi in colore mutare incipat. Quod ſi nec materram coquat, nec nutritioni incumbat, tunc Tenuis & *Candida*, propter oppreſſionem Caloris à materiæ copia vel cruditate, quam Natura aggredi deſperat: Et talis in principijs Febrium non ſine metu, quod ſive

ive natura ad pugnam se explicet, victoria dubia, sive sub onere succumbat, & certa mort. In his Urinis plerumque odor nullus aut certe minor quam in sanis, ob neglectum coctionis, quod si autem talis fuerit, qualis ex aceto carbonibus accensis in fuso percipitur, idq; in febre ardente, lethum minatur, ob extremam cruditatem, cui natura par esse non possit.

Quatenus Calor materiam *misceet*, videlicet vel coctam vel Incoctam. *Coctam* quidem statim. Recte enim Cardanus: *Natura ubi coxerit materiam, statim movet illam*. Et tunc Urina *Crassa*, propter heterogenei admistionem. Eaque nunc Turbida nunc Clara: *Turbida* ob materiæ copiam, quam natura non satis regit, & vel talis manet, ob diminutam coctionem; vel clarescit, materia jam evicta & ex agitatione quidem turbata sed *In Hip. aph. 71. l. 4.*

qua

tate orta, & hæc citò clarescit materia ob gravitatem fundum petente. In his est fœtor gravis ob cruditatem, quam calor non corrigit, & gravissimus, si magna humorum putredo.

Ita se habet Calor febrilis ad materiam peccantem: Ad Liquorem ipsum autem, ratione quantitatis quidem, quæ semper multa in morbi concoctione; ratione Caloris verò, qui in Coctione intenditur versus mediū & increscit, ex albo videl. & glauco ad subspiceū, spiceū & citrinum &c. in Cessatione & Cruditate, versus extremum deficit, ita ut Urinæ initio albescant, deinde etiam calore ad dissolutionem vergente, nigrescant, ut supra in Intemperie frigida diximus: Denique ratione Substantiæ, quam secundùm, id est post colorem liquori tribuit. Cum quibus si tria morborum tempora, princi-

pium videl. ſtatum & declinationem conjunxeris, & cum his dierum indicationes, habes prognoſin Urinarum in Febribus. Nam quia quarta eſt indicativa ſeptimæ, & undecima decimæ quartæ &c. ſi in ſeptima futura ſit concoctio & criſis, ſequitur in quarta fore mediam coctionem tanquam in medio decurſu; unde ſi in quarta appareat Urina mediæ concoctionis ſignum, prædices Criſin in ſeptima, &c. Quænam autem Urina mediæ coctionis ſit index, cognoſces, ſi cum Colore & Subſtantiâ, quæ hic conſiderantur, conjunxeris contenti ſignificationem (de quo poſtea) videl. nebulæ, quæ incipientem concoctionem ſignat, & ſedimenti, quod progreſſam, ſi rubrum, abſolutam, ſi album fuerit.

Sect. 4. aph. 71. Ita ergo Hippocr. *Quibus die ſeptimo futura eſt Criſis, in Vrina rubram die quarto nubeculam habet.*

Rubra

Rubra enim nubecula poteſt eſſe ſignum mediæ coctionis, intellige, ſi cum Coloris & Subſtantiæ bonitate conjuncta ſit; etſi, ut rectè ad hunc Aphoriſmum Galenus, *magis alba quam rubra, atq; his adhuc multo magis enæorema, &c.* Quod ſi autem etiam in ſubſtantia ſit lapſus, profertur Criſis, quatenus ſcil. longius à perfecta concoctione abeſt. Ex quibus apparet ratio eorum quæ ibidem adfert Galenus, videl. quod cum ſignum coctionis apparuiſſet in undecimâ, facta ſit Criſis alijs in decima quarta, alijs in decima ſeptima. alijs deniq; in vigeſima. Nam v. gr. ſi in undecima appareat multa Urina, coloris boni & mediocris ſubſtantiæ cum ſedimento rubro, judicabitur in quarta decimâ, quia ad abſolutam concoctionem nihil deeſt, quam ſedimenti color, albus ſcil. qualis eſt perfecta coctio: Si verò

in eâdem sit Urina multa, boni coloris, sed tenuis cum rubro sedimento, judicabitur in decimâ septimâ, quia longius abest à perfecta concoctione, propter substantiæ tenuitatem; Quodsi denique multa & boni coloris sed tenuis & cum nubecula, judicabitur in vigesimâ, quia adhuc longius à concoctione recedit, ob nubeculam tantum, non sedimentum &c. Atque hæc ita se habent in morbis, qui tardius moventur. *Quodsi celeriter admodum morbus moveatur*, utar verbis Galeni, *etiam coloris & consistentiæ mutatio idonea sunt futuræ judicationis signa. Itaq; quæ tenuis est urina, si mediocriter crassa evadat, & quæ alba, si pallida fiat, in tali morbo judicationem prænuntiat.* Verum extra limites abrepti sumus, utilitate illecti, & quod hæc apud alios non occurrant, sine quibus tamen dignitatem suam tueri Medicus non potest.

ibid.

poteſt. Quare inflectimus nunc gradum, & cum de Calore febrium putridarum egerimus, jam etiam aliquid de Hecticarum Calore dicemus.

Calor *Hecticus* hoc differt à Putrido, quod in ſolidis partibus inſidet, proprio ſcil. fomite gliſcens non alieno. Et quia in ſolidis, ſe vertit in materiam, quæ eſt intra ſolidas partes; quemadmodum febrium putridarum calor ſe accendit in materiam, quæ eſt intra vaſa. Eſt autem in ſolidis partibus humidum triplex, videl. quod partium ſtamina circumſtat, quod in ſubſtantiam partium inbibitum eſt, & quod ſolidum ipſum conſtituit, quoque veluti glutine ſubſtantiæ cohæret; quemadmodum etiam in lucerna triplex eſt humidum, oleum quod ellychnium circumfluit, quod ellychnio imbibitum & quo ellychnij ſubſtantia

continetur, quoq; adsumto ellychnium incineratur. Pro triplici hujus humidi absumtione, qua hectica febris distinguitur, etiam Urinas variare volunt. Nam in prima hecticæ specie, in qua effervescit & absumitur humidum nutrimentitiũ, Urinam faciunt *Oleo-apparentem*, in secunda, in quâ ros partibus imbibitus, Oleosam, id est colore & crassitie oleum referentem, in tertia, & hectica marasmode Galeni, in qua gluten continuitatis absumitur & *colliquatio solidarum partium est exacta*, verè Oleaceam, id est ut oleum pinguem. Ita Actuarius & qui eum sequuntur. De ultima diximus supra, eam non dari, authoritate Galeni. Huic ergo nunc aliam substituimus, videlicet Oleosam quæ est omnigeni coloris, nimirum qualis in Iride conspicitur, idque nixi experientia & ratione: Experientia quidem Theod. Zvin-

Wil. Prob. Urin. cap. 24.

Zuingeri, qui se talem in Francisco Insulano tabescente bis vidisse testatur. Et ratio suffragatur: nam & Tartarum & Vitriolum & Urina ipsa, quando elixantur, sub finem exhausto fermè omni humido seroso, quod phlegma appellant, vapores in alembicum elati, tingunt illum colore variegato, videl. ex portione salis subtilissimi & levissimi elevati. An tale quid etiam in corpore exhausto, morbique diuturnitate extenuato fiet? *Phys. Med. cap. 49.*

De alijs dictum est, eas fieri cùm ratione alimenti, tùm seri. Alimenti quidem, quod ad partes affluens, nec perficitur nec ab excrementis liberatur, sed inquinatum exit, quod si diu duret, conclamatum est de salute hominis, ob extremam imbecillitatem, quia jam nec continere quicquam nutrimenti partes possunt. Ratione seri vero, quod à Calore hectico livorem ex

viridi ſive virorem obſcurum & extinctum contrahit. Cum enim in hectica ſit calor quidem vehemens & acris, cujus ratione ſal torretur & toſturâ viреſcit, at non vividus, ſed in agendo ſubevaneſcens & quaſi emoriens, propter deperditam calidi nativi formam, extinctionis veſtigia in ſero relinquuntur, unde liveſcit, quo ſenſu etiam à Galeno dictum exiſtimo: *Lividus color tantum frigiditatis effectus.* Et ex his ſimul junctis ſupra *Oleagineam* Urinam concinnavimus, quales in hectica, continuatæ præſertim, ſunt lethales, ob maximam ut diximus imbecillitatem, *quæ nullis Syrupis magiſtralibus, aut Auro potabili, aut tincturis corallorum, aut ſolutionibus perlarum tolli poſſit*, Reuſneri voto.

1. d. Criſ. cap. 12.

in Wil. cap. 24.

Eſt autem, cum Calor non totum Corpus corripuit, ſed partem aliquam occupat, ut in Hectica Topica,

Topica, & in Putrida etiam, in quibus nihil singulare, quam quod labes initio est minor & signa quoq; talia: Progressione tamen Toti communicantur; Quin & Putrida aliquando in Hecticam degenerat, humido videl. corporis exhausto; Et Hectica cum Putrida conjungitur, contagio humorum, in qua tunc signa mixta, quæ Artifex novit conjungere. Quod si Calor hecticus partem corripiat, quæ Urinæ coctioni destinata est, ut renes, notabiliora sunt signa, quia in propinquo. Ita Urina oleacea subita & accumulata, nephritici affectus indicium est &c. In his Urinis (in Hectica intellige) commune est, quòd graviter fœtent, ob squalorem ac fæculentam cruditatem, & sæpe morticinum, cum jam mors injicit manum.

Et ne de Calore *Pestilenti* nihil dicamus: Hic quia validus accendi-

tur & cum putredine humorum eaque insigni utplurimum conjunjunctus est, vehementer humores agitat, unde & dolor capitis oritur. Pestiferis febribus familiaris, & Urina prodit *Subjugalis*, quæ duo etiam supra ex Hippocr. conjunximus; Et hanc, si multum fæteat, Pestilentiæ quasi certum signum esse Cardanus prodidit.

Com. in Hip. aph. 70. s. 4.

HUCUSQVE egimus de Intemperie, quatenus ad Concoctionem refertur: Consequens est, ut eam quoque consideremus, quatenus est instrumentum ministrantium facultatum, Attractricis potissimum & Expultricis, quibus adde & Retentricem nec non Secretricem facultatem. Nam vi Secretricis, serum vel non separatur à reliquis humoribus in Intemperie frigida; vel citius & copiosius separatur, quam per naturam debebat, in Calida, cui sit conjuncta sit corporis

poris densitas, cum Calor vaporare non possit, liquat & fundit & Copiosam urinam reddit. Retentrix verò ab Intemperie dependet potissimum, quatenus cum humida vel siccâ conjungitur. Nam in humidâ magis relaxatur & imbecillior existit, in sicca robustior est & magis adstricta, quâ ratione ibi Urina Copiosior provenit, & minus alterata, ob minorem retentionem; hîc minus copiosa, cum multum ex ea dissipetur, & magis alterata, ob diuturniorem retentionem, evaporantibus partibus subtilioribus, & reliqua Urina sic in se densius coacta &c.

Primas hîc tenent Attractrix & Expultrix facultas, & hæ quidem in omnibus partibus, ad quas serum pervenit, maxime verò in ijs, in quibus coquitur, ut sunt renes & vesica. In Renibus præcipuè spectatur Attractrix, quatenus à toto

Corpore serosum excrementū ad se derivant. In Vesica Expultrix, quatenus urinam tanquam in matula susceptam & retentam statis temporum intervallis è corpore eliminat. Quæ supra has consistunt, partes renum tractioni quasi succenturiatæ sunt; ex ijs præcipuè Jecur, quod avidè ab intestinis & ventriculo humiditatem exhaurit: etiam durante concoctione per quinque illas venas, quæ ex illo ad imum ventriculi perveniunt, ut Cardanus observat. Non ignavius autem Lien, qui tùm per vas breve humidum bibit adhuc ex ventriculo, tùm per splenicam à jecore copiosum divertit, antequam Chymus perveniat ad Portas. Ab his duobus Utribus deinde Cor quasi porrecta utrinqve manu, hinc (à dextris) per venam Cavam à jecore, illinc (à sinistris) per arteriam Aortam à Liene rapit humorem, quem

Com. in Hip. aph. 83. l. 4.

quem iterum longè lateque distribuit. Ex Cava & Arteria magna ascendentibus divaricatisque in cerebrum serosus humor subvectatur in Caput aliquammultus, qui tùm excrementorum everritioni per complura, quæ habet, emunctoria inserviat, tùm spirituum habitioni mollori &c. In reliquis, à majoribus venarum tubulis sugunt undique minores, & ab his minimæ capillares dictæ; quæ in partibus singulis implantatæ, humorem quem cum alimento deferunt, in spatia partium effundunt: Qui inde iterum impetum capit vel potius retrahitur, communicata tractione venis minoribus à medijs, & his à majoribus, denique majoribus ab emulgentibus & renibus, in quibus hujus tractionis fundamentum. Nam quia intus habent capacitatem amplam, follium instar dilatati trahunt per Emulgentes tanquam

fistulas,

fistulas, proximè quidem à vena Cava & Arteria magna, & hæ vicissim proximè à visceribus quibus implantantur, Cava videl. à jecore, Arteria magna per Cæliacam à Liene, &c. deinde & ab habitu corporis, per quem disseminantur, ut jam ostendimus.

Has tractionis retractionisque vicissitudines imaginari oportet, & quasi ante oculos constituere, qui in Urinæ cognitione cum ratione versari velit. Nam & ad Caput multum sæpe serosi liquoris converti, documento sunt lachrymæ & uberior fletus, in quibus Urina devenit pauca: Et Cor calore æstuans multum humiditatis attrahit ac resolvit: Et in habitu Corporis, si vel calore vel labore & exercitio vel quacunque alia de causa attractrix ejus excitetur & incalescat, humiditas ad ambitum exhauritur multa. A quibus omnibus causis Urinæ modicæ:

dicæ: Ita etiam à jecore calido, si videl. ab ijs partibus sollicitetur, quæ sunt suprarenes.; aliàs supparasitatur renibus proximis, ad quos non minus festinè serum expellit, quam illud avide suxit à ventriculo, unde tunc Urinæ multæ &c.

Renes in quibus attractio viget, si Intemperie frigidâ laborent, debilius attrahunt, unde serum in toto restagnat; & quod à venis expellitur tanquam onerosum *destillatum per poros deorsum, omne enim grave tendit deorsum, facit hydropem pedum*, ut rectè observavit Paracelsus, Urinam vero parciorem. Si laborent ex Calidâ, attrahunt vehementius, & reliquis partibus quasi per vim eripiunt humiditatem, etiam incoctam, proximè autem trahunt à Jecore, quod ut habeat, quod suggerere possit, avide rapit quicquid est tenue ac dilutum à ventriculo, unde mictio multa, ca- *4. de Tart. cap. 2.*

que

que tenuis & cruda, quia potius in humorem, ut Galen., converti non potuit. Quod si autem jecur sit oppilatum, cum inde sitim sedare non possint, aliunde explent, & *per spinam dorsi trahunt à capite*, ut vult Paracelsus, unde in Capite dolor ob detrimentum, & *primo in Occipitio, postea Hemicranea fit, aliquando totum caput occupat, quia virtus attractiva renum trahit nutrimentum Capitis, quo Caput nutriri deberet.* Argumento est, quod hic dolor etiam sentitur *in Coxenaicibus, inde in dorso & in Collo, quia renes non acquiescunt in attrahendo. Ita etiam quando Capitis oppilata est regio, & tum in splene est deoppilatio, à splene attrahunt, & in Splene dolor existit.* In his omnibus Urinæ Copiosiores solito. Quod si renes trahant à toto, & totum consentiat, ut in Calore corporis colliquativo, oritur Diabetes; in qua homi-

4. de Tart. cap. 4.

ibid.

nes

nes mejendo emittunt animam.

Vesica expulsioni destinata, si ab Intemperie frigida labefactetur, segnius officium facit, & vel tardè expellit, vel paulatim, ut in senibus experimur, remollitis scilic. nervis & ad constrictionem ineptis, unde illa sæpe in mejendo difficultas, quam infelices compressione ventris constrictioneque adjuvant; Ab intemperie calida vexata, hominem ferè ad matulam desidere facit, perpetuo enim tales micturiunt, &c.

Prolixior hic fui, Lector, quam volebam, non tamen quam debebam. Methodi cancellis quomocunque includere placuit, quæ hactenus omnem Methodum respuebant. Si minus feliciter processit, veniam, opinor, merebor, quia primus hanc viam ingressus sum, & sine Duce, quæ tamen si est, hæc unica est. Sed nunc tempestivum

vuncat, ut ad reliqua transeamus.

CAPUT VII.

Trina ab Optima recessus Ratione Causæ Instrumentalis, quæ est Obstructio, & ei opposita Relaxatio nimia.

APERTIONI Meatuum, quam supra Calori in agendo subordinavimus, opponitur Obstructio. Postquam ergo Caloris circa Urinas prævaricationes consideravimus, nunc etiam de Obstructione aliquid dicendum. Hæc Obstructio quomodo nunc in Toto (habitum corporis intelligo) nunc in partibus certis existens, variè Urinæ generationem impedire possit, ex ijs obscurum esse non potest, qvæ modo de Urinæ per Universum corpus tractione retractioneqve diximus. Verum nos obstructionem hic considera-

mus

mus in eo tractu, qui est in prima nutritionis regione à ventriculo usqve ad vesicam. In reliqvis Obstructio solummodo concernit quantitatem: Nam si ad aliqvam partem non distribuatur serum, vel etiam ad habitum, ut in densitate corporis, ratione minoris distributionis, Urina fit Copiosior; in qualitate autem non alteratur, nisi qvatenus cum obstructione Intemperies conjungitur, qvæ ex Intẽperie judicanda. At qvæ in inferiore Regione est obstructio, ea non parum momenti ad Urinæ non tantum quantitatem, sed & substantiam adfert; maximè qvæ est in Renibus, tanquam Colatorio Corporis.

De hac initio occurrit qvæstio, magni sanè ad Praxin momenti: Utrum videl. Obstructione renum eorumqve vasorum, per qvæ Urina effluere debet, Urinæ tenuiores

red-

reddantur. Qvam quæstionem omnium ultimus Cl. Dn. Sennertus ita decidit, ut existimet, Urinam quidem in propria substantia propter obstructionem non reddi tenuiorem, sed saltem ratione crassiorum humorum, qvi Urinæ admixti sunt, & ut distinctè Hercules Saxonia loquitur, qvi *Vrina jam generata* in corpore permiscentur. Quia res est ad Praxin, ut dixi, plurimum faciens, verba Sennerti hîc adscribam: *Sciendum Vrinas duobus modis tenues dici posse, primo cum illam, quam naturaliter ex coctione & permistione humoris serosi habere debent, crassitiem non habent; deinde, cum crassos humores, à quibus crassiores reddi solent, admistos non habent. Posteriori autem solummodo, cum humores scil. crassi permiscentur, ex obstructione potest fieri urina tenuior. Tales enim humores, cum non sint exactè liquori permisti, sed cum*

de Vrin. c. 4.

cum eo saltem confusi, facile in angustis viis hærere possunt; sicuti videmus colaturâ lixivium impurum aut vinum aut alium liquorem reddi clariorem. Prior verò tenuitas, quæ ipsi ex propria substantia competit, colaturâ & obstructione viarum illi accidere non potest, sicut nec vino, nec lixivio, aut ulli liquori naturali crassities colaturâ adimitur. Ab hac sententiâ tam luculentè propositâ absurdum videri posset, dissentire, nisi quantum in Praxeos meæ tyrocinijs observare licuit, experientia refragaretur. Nam in manifesta renum obstructione, nullo jecinoris vitio, cui Urinæ tenuitas adscribi possit, Urinam tenuem prodire non semel vidi, & quin idem alijs Medicinam facientibus accidat, nullus dubito.

Quare, ut pace tanti Viri liceat nobis in hujus rei veritatem ulterius inquirere; Illud primum constat:

ſtat: Colatione rebus non tam tenuitatem, quam claritatem, conciliari. Neq; illud omnino negamus, quod pro ſententiæ ſuæ fundamento ponit Sennertus, *res quæ exactè miſtæ ſunt, colatione* facilè *tenues fieri non poſſe*. Hoc vero, quod renes ſolam Urinæ præſtent colaturam, & quidem talem, qualis eſt in rebus externis, ne ipſe quidem Dn. Sennertus ſibi concedi poſtulabit. Nam ut nunc ea non attingam, quæ ſupra de ſeri in renibus coctione ſatis dilucidè propoſuimus: Id ſaltem nemo negaverit, ſerum dum ita renes translabitur, caloris in renibus actionem non poſſe non experiri, actio enim naturalis ceſſare
8 de An. non poteſt, ut colligitur ex Aver-
Com. 5. roë. Quodſi ergo in decoctis pharmaceuticis experimur, quæ ſæpe multâ coctione exactè ſatis miſta ſunt, ea iteratâ ſæpius colaturâ, non tantum clariora, ſed & verè tenui-

ora

ora reddi, nec crassiora tantum deponere, sed & tenuiora (ut vires eorum deperditæ manifestè arguunt) quanto id magis fieri existimandum est in sero, quod per Renes exactius sæpe transcolatur, quam per manicam Hippocratis fieri possit, calore interim renum jugiter cooperante, & dum serum secundum minima colando dividitur, crassiora carpente, idq; in obstructione, in qua calor ille acrior existit. Nam quemadmodum Calor blandus omnes humidi partes quasi æqualiter fovendo in se unit, atque ita incrassat: ita Calor acris & tanquam cum aculeis agens partes quasi discerpit ac crassiora à tenuioribus divellit, quæ obstructione retentæ tenuiores effluere sinunt. Neq; id de ijs tantum accipiendum est, quæ Urinæ jam elaboratæ in corpore admixta sunt, ut vult Sennertus, sed &, quæ in generatione ipsi

ipsi incorporata fuêre, etiam sal ipsum, quod Sennertus sero consistentiam largiri statuit: Cum enim ex eo quoque renes nutriantur, ut supra ostendimus, quis non videt, in obstructione, in qua calor asperior evadit & inæqualis, naturam hoc condimento abuti ad cibum posse, unde deinde magni morbi oriantur, quorum malè præsaga est ejusmodi Urina Tenuis. Sed hæc ita manifesta sunt, ut supervacaneum sit plane, ea quæ Sennertus pro sententiæ suæ confirmatione adducit, convellere. Nam quod *vinum crassum, vel lixivium clarum & depuratum, sed crassum, decies vel sæpius colatum nihil tenuius effici* scribit, (quanquam alij hoc in dubium vocent) tamen nemo non agnoscit, quam hæc longo invicem distent intervallo. Nam neque serum tam exactè elaboratum est in venis, antequam ad renes affluat, ut non

non ex miſcella iſta adhuc rudi & malè terminata natura nullo negotio multum decerpat, & Calor etiam in renibus obſtructis prædatorius eſt valdè. Imò lixivia quævis lævi occaſione præcipitare ſalem aut etiam coagulare, omnes novimus, & in lixivio Tartari cui ſpiritus Vitrioli adſperſus fuerit, id valde conſpicuum eſt; an tale quid etiam in renibus à ſpiritu præcipitante vel etiam coagulante fieri poteſt, unde ſerum ſale ſuo fraudatum, tenue deveniat & aqueum? Nemo opinor, temeritatem accuſabit noſtram, quod tanti Viri opinionem in dubium vocare voluerimus, poſtquam de veritate conſtiterit. Vel ipſe propriâ experientiâ didici, quam ſit res ad errorem valida, Authoritas quæ tanta eſt, ut ſublatâ omni ulteriore inquiſitione tanquam ſupervacanea, rationem quaſi captivam ducat.

 Nihil

Nihil ſummi Viri ſummæ gloriæ adimitur diſſentiendo, ſi id fiat amore Veritatis, cum & nuſpiam falli ſit ſupra humani ingenij conditionem, & ipſe quoque Dn. Sennertus ſe ita ſcripſiſſe profiteatur, ut alijs veritatem ulterius ſcrutandi dederit occaſionem, non autem ademtam voluerit facultatem.

Atque ita à Renibus obſtructis Urinæ *Tenues* ſivè illa obſtructio ſit ab arenis & cineribus ſeri, ſive à viſcoſitate, ſive etiam quod Ureteris caput calculo obſeratur, ut Fernelius advertit, unde graviſſimi nephritici dolores. *Minus Tenuis* eſt illa, quæ ab Ureteribus à craſſ. & glutinoſa pituita obſtructis oritur, ſi videlicet renes obſtructi non ſint, quia in his ſero ex propria ſubſtantia vix quicquam adimitur, ſed illud ſaltem, quicquid ſero ex humoribus admixtum vel potius confuſum fuerit: In his enim demum

d. Vrin. cap. 14.

num illa, quam Sennertus ita urget, Colatura locum habere videtur: Ita etiam, si in Vesica sit obstructio, vel calculus cervici vesicæ impactus sit, tum enim vel nihil exit, vel liquor solus & tenuior, abrasis videl. crassioribus, quæ cum liquore præterlabi solent. Quanquam & alia causa Urinæ Tenuis in Vesica esse possit, quam Sennertus alibi ex Hippocrate adducit, nimirum quia *serosum illud, salsum, & ut Hippocrates nominat* θολωδέστατο, *turbidissimum & tartareum, ut recentiores appellant, concrescit, & in lapidem coagulatur, reliquum aquosum & quod coagulari & concrescere non potest, effluit, unde Vrinæ fiunt Aqueæ.* Ecce quomodo Sennertum nobis habeamus suffragantem etiam contra Sennertum. *d. Vrin. cap.* 5.

Hac ratione fit Tenuis ex obstructione Partium, in quibus serum magis colatur, quam coquitur:

tur: In quibus autem magis coquitur quam colatur, etiam *Tenuior*, ut in Jecore & Mesenterio. Nam in Jecore, quod ex obstructione plerumque indurescit, & Calorem acquirit siccum, serum non æqualiter incrassatur, sed extenuatur ob Calorem asperantem & divellentem non unientem, ut diximus. In Mesenterio verò, quia ostiola venarum mesaraicarum chylum sugentium oppilata sunt, jecur tenuiorem solum trahit insufficientem nutritioni & in flatus vertibilem, unde punctiones, & extenuatio corporis, Urina verò Tenuissima ob primæ incrassationis defectum. Et per hæc etiam tenuitas hujus Urinæ accuratè distinguitur ab illa, quæ est à renibus. Nam si corpus bene nutriatur, Urinæ tenuitas non erit ex obstructione jecoris, quia *cum corpus nutritur, jecur bene habet*, inquit Cardanus; sed vel renum

renum vel ureterum. Sin malè, ut *in Hip. d. alim. lect.* 43. in macie & habitu hectico, palam est id vitio jecoris fieri, nam & in senibus, quod Urinæ sunt tenuiores, id propter jecoris senilitatem potissimum evenit. Quod si etiam punctiones adsint, mesenterij obstructio in culpa est.

His non malè addideris Coloris differentias. Nam ita etiam Joh. Rhenanus; *Vrina Diaphana Pallida, significat oppilationem stomachi; Citrina diaphana, mesaraicarum; Rubea obstructionem Epatis; Crocea renum*, quæ quomodo cum nostra hypothesi per omnia congruant, ex præcedentibus abundè constat. *Vrocrit. cap.* 4.

Relaxatio nimia, quæ Obstructioni opponitur, oppositum etiam & contrarium producit effectum. Nam quatenus est in toto, serositas ob raritatem multa distribuitur, & Urina depauperatur; Quatenus in partibus in quibus se-

um coquitur, tunc vel crudum effluit, vel etiam, si major, totum, & non separatum ab humoribus, cum quibus coquitur, ut è ventriculo cum chylo, è jecore cum sangvine crudo, ex renibus cum ichore sangvinis; Et ita in partibus, per quas colatur, in quibus quia impedimentum non est, qvicquid in corpore seri raptum seqvitur, una effluit seqve in Urina conspiciendum præbet, &c.

Atque sic tandem, postqvam etiam de Instrumentalis Causæ prævaricatione egimus, totam hanc de Liquore Urinario doctrinam concludimus.

Ca-

CAPUT VIII.

Contenta, eorumq; divisio. Contenta Propria in sanis & Eorum Causæ, Materia videlicet & Efficiens. Deniq; Contenti Optimi delineatio, & per sua requisita explicatio.

ALTERAM Urinæ partem Liqvorem absolvimus; Cujus doctrinam nunc ordine Contenta excipiunt. Contentorum autem nomine veniunt omnia ea, quæ in Urinæ liquore aliena ab eo conspiciuntur; Eaqve sunt duplicia, ut egregie distingvit Ludov. du Guardin. Alia, qvæ in Corpore cum liquore fuerunt continua, in matula verò ab ejus continuitate separantur, ita ut perceptibiliter in ea separata discernantur: Alia, qvæ nunqvam fuerunt continua, sed dum Urina erat in corpore, jam habebant circumferentiam suam, & in

Part. Phys. d. Hum. cap. 25.

ca tantummodo diversi modè natitabant. Prioris generis sunt Hypostasis, Enæorema & Nubes, quæ non malè Contenta Propria dici possunt, quia ipsi sero ex naturæ instituto commiscentur, tam in sanis qvam in ægris. Secundi generis sunt, Pingvedo, Oleum, Farina, Furfures, Sqvamæ, Carunculæ, Pili, Pituita, Semen, Pus, Sangvis, Arenæ &c. qvæ qvia præter naturæ institutum Urinæ adveniunt, Contenta Aliena rectissimè dicuntur.

Hypostasis, Enæorema & Nubes in matula ab invicem distingvuntur situ. Nam secundum versum:

In summo est Nubes, *subsidit* Hypostasis *imo*,
Ast Enæorema *permanet in medio*.

Hæ autem Causas in corpore habere possunt tùm naturales tùm præter naturam. Qvare ut natura eorum.

rum distinctè cognoscatur, ea primum considerabimus, quatenus à Causis naturalibus ortum habent, qua ratione etiam sanitatis in corpore dabunt indicia. Causæ sunt Materia & Efficiens.

MATERIA Hypostasis (nam ab hac reliqvæ tantum differunt secundum minus) est Externa vel Interna, *Externa*, qvæ extra in corpus assumitur est alimentum seu cibus: isqve quatenus crassior, ex Capivaccij sententia, qui prout alimentum vel crassius est, vel minus crassum, ita interdum magis subsidere, interdum magis ascendere hypostasin author est: Potius autem, quatenus est frigidus & humidus. Nam quia Calor coctione crassiora attenuat, & tenuia incrassat, idq; in sanis perfectè, isthæc materiæ conditio coctione utplurimum confunditur & obliteratur. At frigiditas & humiditas cibi in causa

d. ca|

ſunt, ut alimentum abſolutam illam ἐνδέλεχειαν aſſequi non poſſit, ſed magnam partem imperfectum maneat, unde ſedimentum; qvemadmodum contrà à cibo calido & ſicco vel nullum vel exiguum oriri ſedimentum, recte annotavit Sennertus.

Materia *Interna*, quæ intus in corpore generatur eſt triplex: Remota, Propinqua & Proxima. *Remota* eſt pars Chyli imperfectior, quæ ex deteriore & crudiore cibi parte generata, eam in ventriculo diſpoſitionem accepit, ut cum chymo quidem à jecore prolectetur, in ſangvinem autem mutari non poſſit. Hanc Mercurialis, & eum ſeqvuti Capivaccius & Hercul. Saxonia appellant ſuccum crudum, idque imitatione Galeni, qvi ſi *Vrina*, inquit *ſubſidentiam albam, levem ac æqualem & multam fecerit, plus de humore qui crudus*

1. d. Criſ. cap. II.

dus vocatur, evacuari demonstrat.

Materia *Propinqua* est pars sangvinis inconcocta, & ut Galen. loquitur, inconfecta. Nam ita alibi: *Quicquid alimenti in sanguinis generatione, natura refugit confectionem t subsidit in Vrina.* 1. Prog. 42t Etsi autem perfectè elaborata, & ut distinctè Gal., confecta non sit, cum sangvine tamen in venas & arterias distribuitur ob familiaritatem substantiæ, ut vult Antonius ab Alto mari, vel quod natura adhuc speret eam in partium nutrimentum convertere, ut Sennertus; verè autem ob temperamentum sangvinis, ut videlicet calor in tertia concoctione circa eam nonnihil illudatur, & reliquã sese eo blandius insinuent, unde etiam in corporibus calidis & siccis, in quibus calor est prædatorius, nullum vel exiguum apparet sedimentum. Differt autem hic humor à Pituita, quod hæc sit quasi ex

dimidio coctus sangvis, utpote in quem ulteriore coctione mutatur, ille neqve in sanguinem idoneum neqve in corporis nutrimentum mutari potest: Ratio est, quia, ut est apud Galenum: *Pituitæ calor dominatur, humori crudo minimè.*

l.d.Dec. Hip. & Plat.c.7.

Materia *Proxima* sunt reliquiæ s. excrementum tertiæ concoctionis, Ita Actuarius. Nam quia in omni alimento insunt partes quædam heterogeneæ & inutiles; quæ à reliquis separari necesse est, siquidem eæ novam & meliorem formam inducere debeant, necessario etiam hæ dabuntur in tertiæ concoctionis alimento, utpote quod partibus assimilari, hoc est, priorem formam deponere & aliam eamq; nobiliorem & partibus propriam recipere debet. Eæ autem non sunt aliæ, qvam sangvinis partes semicoctæ & inconfectæ, qvæ qvia in nutrimentum corporis cedere

d. Caus. Vrin. l. 1. c. 14.

dere non possunt, ab utilibus segregatæ & seorsim existentes una cum sero exeunt. Eodem sensu Guardinius materiam sedimenti facit Demensi superfluum crassius. Nam, *quando jam demensum fit*, verba ejus sunt, *incipit induere dispositiones varias, quæ sunt in partibus, ubi reperitur. Et ideo fit materia crassior. Quæ si nimia sit, ita ut partes eam (quatenus nimia est) ad se non attrahant ex Vasis, id quod ad partes attractum non est, simul cum liquidiore sero ad vesicam ex venis & artereiis deducitur.* Est autem Demensum eidem, *portio massæ sanguineæ singulis partibus dimensæ, in extremitatibus lateribusq; Venarum & Arteriarum ejusdem loci adhuc quidem recondita, attamen illius partis, quò pervenit incipiens dispositiones egregiè redolere, in eam jam jam illapsura*, id quod alij Humorem Innominatum vocant.

Pathol. cap. 69.

Physiol. cap. 9.

Adhi-

Adhibita hac triplici materiæ sedimenti distinctione, omnes illæ cõtroversiæ qvæ tanta dissensione ab Autoribus agitantur, ut vel solæ unum volumen complere possint, sublatæ sunt. Constat etiam qvomodo accipienda sint illa verba Fernelij, quibus Authorum de sedimento sententias examinat: *Non igitur hæc, de hypostasi loquitur, (ut Actuario visum est) ejus duntaxat coctionis, quæ in extremis venis perficitur, aut etiam solidarum partium excrementum est. Neq; (ut aliis plerisq; placet) portio cibi crudior, quæ interdum è ventriculo in venas cum sero provehitur, sed ubique cum Vrina ortum perfectionemque nacta est. Quocirca non solum aut ventriculi aut solidarum partium, sed præcipue majorum venarum hypostasis est index.*

d. Vrin. cap. 17.

d. Vrin. *cap.* 18.

Quod autem Argenterium insuper attinet, pui Pituitam & *Bertru-

** cap. de lap. ren.*

Bertrucium Bonnoniensem, qvi Pituitam & Melancholiam hypostasis materiam constituunt, horum sententia non multâ refutatione indiget; qvia etsi in sanguine pituitoso copiosius sedimentum, id tamen inde accidit, quoniam ejusmodi sanguinem etiam plures partes ex crudo illo & indigesto humore circumfluunt: Ipsa autem pituita, cum in sanguinem ulteriore concoctione mutetur, ut constat ex Galeno & corpori quoqve pro rata idoneum præstet nutrimentum, Cerebro præsertim ut ex Hippocrate colligitur, non suppeditabit sedimento materiam, quod est excrementum coctionis in venis. Nam quod Reusnerus, qui *in Wil. Bertrucij* opinionem amplectitur, *Part. 4. cap. 1.* Hippocratis & Galeni de quatuor humoribus sententiam *ad pontem asinorum relegandam* esse scribit, in eo vir ille ingenij sui intemperanti-

am

am manifestè prodidit. Ipse vero nihil adfert, quod viro Docto dignum sit; dum exinde concludere vult pituitosum & melancholicum excrementum sedimento materiam præbere, qvia nec sanguis nec bilis id præstet: quasi verò non detur alius humor, qui id præstare possit, qualis est humor crudus & inconfectus, ut ex dictis patet.

CAUSA *Efficiens* sedimenti est Primaria vel Secundaria. *Primaria* est Calor nativus qvatenus concoctionis est instrumentum. Eaq; est Remota, Propinqua vel Proxima. *Remota* est Calor ventriculi, isqve quatenus in agendo deficit, ut colligitur ex Galeno, qui in puerorum Urinis propterea multam esse subsidentiam statuit, *quod ventriculi operatio non potest duobus simul sufficere augendo scilicet atque nutriendo.* Deficit autem vel per se ut in temperamentis frigidioribus in qui-

I. d. Cris. 12.

bus

bus propterea copiosius sedimentum, vel ex accidenti, videl. propter alimenti copiam aut cruditatem, quam quia calor ventriculi non satis evincit, partes ejus aliquæ imperfectæ manent. Quanquam hic in alimento defectus etiam naturæ optimè operantis sit effectus, quatenus scil. natura intendit inæqualitatem alimenti, quæ corpori enutriendo non tantum commoda sed & necessaria est. Cui fini etiam natura huic humori ejusmodi dispositionem in ventriculo imprimit, ut etiamsi sanguinis perfecti formam suscipere sit inhabilis, cum chymo tamen ad officinam sanguinis & inde in venas deferatur, quod in humore inutili naturæ providentia non admittit. Atq; hinc est, quod etiam in sanis & qui optima valetudine utuntur, sedimentum reperitur, quin & naturæ lege reperiri debet.

Causa

Causa *Propinqua* eſt Calor Jecoris & meſenterij, qui cum hunc humorem maſſæ ſanguineæ confuſum ulterius excoquere & in perfectum ſanguinem commutare non poſſit, ſaltem mitificat, eique talem formam tribuit, ut propter partium familiaritatem una cum ſanguine in venas & arterias & inde ad reliquas partes diſtribui poſſit.

Cauſa *Proxima* eſt Calor Venarum & Arteriarum nec non Partium ſingularum, quatenus ex portione alimenti quam natura cuiq; pro nutricatu admenſa eſt, partem utilem ab inutili ſecundum minima ſeparando (nam actio naturæ fit per minima) utilem quidem apponit, agglutinat & aſſimilat, inutilem verò imitatione meliorum viciſſim per minima unit & incraſſat, eique optimam qvam per naturam ſuſcipere poteſt, formam inducit,

ducit, talem ferè, qualis est in pure, ferè inquam: Nam non possum assentiri Valesio statuenti, eandem esse sedimenti & puris generationem, cum ad puris generationem requiratur causa præternaturalis, quæ in sanis locum non habet. Quod ipsum disertè testatur Galenus, quando id quod naturæ subterfugit confectionem, in Urina subsidere dicit, *neque ut sanguis ab eâ mutatum, neque ut pus præter naturam causæ particeps.* 1. Prog. t. 42.

Efficiens *Secundaria* est Calor nativus Urinæ in corpore impressus, qvi in Urina emicta remanens materiam ejus crassiorem à Liquore segregat, colligit & in matulæ fundum deprimit, idque eo melius, quo Calor nativus fuerit fortior. Hoc expresse docet Fernelius, quando inquit: *Quin etiam tantisper dum in nobis ea* (Urina) *continebatur, insiti Caloris vim quandam* d. Vrin. cap. 17.

conquisivit, quam & Aristoteles recte annotavit in ipsis quoq; animantium excrementis manere. Quicquid igitur in emissa Vrina *crassioris inest substantiæ, licet non protinus aspectabile sit, mox tamen secernitur atque coit ac plerumque subsidet, perinde atque fæx in aqua rosarum stillatitia, idque insiti hujus caloris beneficio, cujus est vis heterogenea secernere. Hæcque crassior* Vrinæ *portio insiti Caloris vi secreta atque in imum depulsa, Hypostasis est.* Ad quem locum rectè monet Guardinius, Calorem nativum hic intelligendum esse secundarium, qui scilicet *ex influente* & *Adventitio* (Solis ac ingestorum) *cum eo intus permixto constat*, quemadmodum eum alibi definit.

Part. Physiol. de reb. ann. c. 3.

Ab his ergò Causis fit Hypostasis, & ab ijsdem, sed minoribus Enæorema & Nubes. Nam Enæorema nihil est aliud, quam hypo-

stasis

ſtaſis materia in Urinæ medio volitans, à debiliore Calore nativo genita. Et Nubes viciſſim eſt materia Enæorematis, in Urinæ ſummo remanens, à Calore adhuc debiliore genita. Eleganter & pluribus id expreſſit Fernelius, cujus propterea verba hic adducere non piget: *Hic igitur Hypoſtaſi materiam confert* ibid. *Vrinæ chymoſis. Illam autem ſecernit inſitus calor, qui ſi in* Vrina *vegetus eſt ac validus, materiam in* Vrinæ *humore ſparſam ac tum minimè conſpicuam, cito quidem ſegregat ac colligit, ac deinde prorſus deorſum deponit, & demum ita cogit, ut æqualis evadat, id eſt ſui ubique ſimilis, atque etiam levis, nihil aſperum nihil divulſum habens. Infirmior urinæ calor craſſamentum hoc tardius ſecernit, neque id deorſum impellit, ſed in medio ſinit propendere, quod* Enæorema *dixerunt, idq; ferè aut divulſum aut inæquale. Languidus Calor tardiſſimè*

dissimè secernit, neque potens cogere, id aut divulsum relinquit, aut per summa innatans Nubis *specie.*

Hypostasis ergo sola idoneæ coctionis indicium est in sanis, eaque Optima optimæ. Est autem OPTIMA, quæ COLORE ALBA, SUBSTANTIA TENUIS LEVIS ET ÆQUALIS, FIGURA PYRAMIDALI quibus adde, ODORE NON FOETIDA, ET QUANTITATE MODERATA, existit: quæ quinque requisita perfectam omnibusque numeris absolutam hypostasin constituunt. Ex ijs præcipua Hippocrates attigit, quando Urinam descripturus: *Hæc Vrina* est *optima,* inquit, *cujus sedimentum est candidum, leve & per omne tempus æquale.* Quæ omnia ut accuratè cognoscantur, & indicia de se eò certiora præbere possint, singula distinctè examinabimus.

2. Præs. sent. 21.

Pri-

Primum & præcipuum Hypo-
ſtaſis bonæ requiſitum eſt Color
ALBUS qui optimæ & conſum-
matæ concoctionis nota. Nam *quæ
de ſanguine penitus permutantur*,
inquit Willichius, *in album colorem* *d. Prob.*
abeunt, ſicut in pure perfecto, in *Vr. p.* 4.
lacte & genitura cernitur. De hoc *cap.* 4.
tamen magna apud Authores eſt
diſſenſio, à qua Cauſa in ſedimen-
tum introducatur, eaque contro-
verſia plurimum fatigavit etiam
ſumma ingenia. Ex quibus proxi-
mè ad Veritatem accedunt qui cum
Galeno ſtatuunt, albedinem ſedi- 1. *Prog.*
mento conciliari à partibus ſolidi- *in fin.*
oribus, ut ſunt vaſorum tunicæ,
nervi, ligamenta, membranæ, car-
tilago oſſaque, quatenus hæ humo-
rem crudum ſibi aſſimilare conan-
tur, quod cum ob materiæ inepti- *Senner.*
tudinem præſtare non poſſint, ei *de Vrin.*
ſaltem colorem album communi *cap.* 8.
cant. Proximè inquam, ad verita-

tem

tem accedunt, quanquam scopum ipsum omnino non attingunt. Nam præterquam quod non apparet ratio, cur vasorum tunicæ, dum conatæ sunt humorem crudum sibi assimilare, non communicarint illi colorem rubeum, aut saltem subrubeum, ut sanguini, cum ejusdem sint substantiæ cum venis jecoris, Illud certè omnium maximam parit difficultatem, quomodo cum à partibus solidis & spermaticis sedimentum accipiat colorem album, idem à partibus sanguineis & carnosis non accipiat rubrum. Eadem utrobique est ratio. Quæ sanè difficultas tanti apud me fuit, ut sententiam Cardani & Capivaccij aliquamdiu sequi maluerim, colorem hunc album ventriculi impressioni, & humoris crudi naturæ tribuentium, ob quam ille nec à jecore nec à venis obliterari possit, quam tàm aggra-

vatæ

vatæ assensum præbere Veritati. Veruntamen rem ipsam paulò intentius consideranti, occurrit illud; quod hæ partes utrinque dum suo quæque modo ad assimilationem concurrit, ad albi sedimenti generationem facere possint: Sanguineæ quidem quatenus ruborem à sanguine imbibunt, qua denudatum jam sangvinem dum spermaticæ sibi assimilant, magis etiam in eo albedinem manifestant. Hoc ita certum est, ut nihil certius. Nam quia rubedo sanguini est accidentalis, ut ex eo patet, quod lotione aquæ nullo negotio à sanguine abstergi potest, quemadmodum videre est apud Gunterum, partes quidem carnosæ eam substantiæ familiaritate attrahunt & imbibunt, tùm per tunicas venarum per quarum mediam substantiam tanquam per colum attrahunt, tùm per venarũ capillarium oscula. Ab

Paracel. Chym. l. 1. c. 3.

H alterâ

alterâ vero parte Spermaticæ, quæ Carnosis ubique coexistunt, atque etiam intextæ sunt quia omnes natura sua albæ, dum alimentum in naturam suam convertere nituntur, sedimento simul colorem album imprimunt. Atque ita Color sedimenti Albus à continuata utrarumque partium & simultanea alteratione exoritur; Idq; non in venis tantum, & reliquo corpore, sed etiam in renibus, quorum caro, quicquid est restibilis in sedimento cruoris, ebibit, membranæ autem interiores illud magis excoqvunt & dealbant: Quin & in Vesica, quæ quia tota membranea est, & nervis quasi constrata, non parum ad Colorem sedimenti album, &, ut Cardanus alicubi distinctè loquitur, *quasi Argenteum* conferre credenda est. Hanc sententiam nostram, ut ad confirmationem hoc addamus, experientia calculo

suo

ſuo comprobat. Nam in agris convaleſcentibus ſedimentum ſæpenumero rubeum apparet, cujus etiam ſupra mentionem injecimus, non aliam ob cauſam, quam quod propter partium imbecillitatem, vel potius reſiduam vaſorum obſtructionem, caro & muſculi cruorem è ſanguine non ebibunt, unde una cum ſedimento regurgitat; poſtquam autem deoppillatæ ſunt vaſorum tunicæ & alimenti colatura jam procedit, ex rubro fit album, quod tunc reſtitutæ in integrum ſanitatis indicium eſt. Ita naturalem albedinem ſæpe diffugit ſedimentum, vel propter levem obſtructionem, vel quod ſolidæ partes vim ſuam debilius exerunt, & ſegnius aſſimilant, vel etiam quia partes exſaturatæ minus attrahunt, ut in Plethoricis &c.

Alterum SUBSTANTIAM concernit, in qua primum requiri-

de Cauʃ. Mor. P. 3. d. 86. tur *Tenuitas*. Ita Cardanus: *Vrina naturalis ſubſtantiam habet craſſiorem, Contenta verò tenuiora*. Ratio ex prioribus evidens eſt, quia in laudata concoctione partes ab invicem ſeparantur ſecundum minima, quod fit attenuatione juſtâ; & hæc incraſſationem præcedere debet, ſiquidem Hypoſtaſi *Æqualitas* conſtare debeat: Per hanc enim omnes Contenti partes æqualiter tenues exiſtunt, non una pars tenuior, altera craſſior: Unde etiam Hypoſtaſis ſibi per omnia ſimilis efficitur. Incraſſatio autem ſequi debet, ut omnia per minima viciſſim uniantur, ex quo *Lævitas* reſultat, quâ partes ſibi ita cohærent, & perpetuo adunatæ ſunt, ut unum quaſi continuum corpus conſtituant, nulla ſui parte diſſolutum aut diſturbatum. Utraque ut conſtat, à Caloris æquabili robore oboritur. Et illa quidem ab interno tantum,

tum, hæc etiam ab externo Urinæ impresso, qui Contentum cogit, deprimit, & complanat, ita ut æqua omnium planities appareat. Quod si vero asperitas aliqua in hypostasi aut rugositas conspiciatur, hæc à debiliore concoctione ortum habet & quæ alimenti partes non æqualiter pervasit; quod si etiam continua non sit, sed disrupta aut dispersa, à majore adhuc debilitate, propter flatum scil. qui interfecat; utrumque autem non tantum tertiæ concoctionis vitio, sed & primæ præcipuè. Nam in quibus sedimentum est crudum ob primam concoctionem, necessario etiam est crudum in omnibus alijs. *Ideo quibus ventriculi vis valde est debilitata, in eis sedimentum Urinæ est valde Crudum, Inæquale, jacens* inquit alibi Cardanus. *in Hip. de alim. lect. 43.*

Eadem de causa Hypostasis fit *Pyramidata*, lata nimirum inferius

& acuminata superius Calore id quod gravius est deprimente, spiritu autem incluso id quod in materia levissimum est sublevante. Etsi enim in optimo sedimento materiam per omnes sui portiones subactam esse oportet & æqualiter attenuatam, dantur tamen aliæ alijs tenuiores & quasi ad vaporis naturam proximè accedentes, quibus in parte superiore consistentibus, & hinc subsidentibus reliquis, pyramidalis hæc figura constituitur.

Addidimus, *Odore non* FOETIDA, intell. fœtore gravi. Nam al às necessario cujusdam fœtoris est particeps, ut supra de Liquore etiam diximus, partim quatenus Calor separatis melioribus reliqua ad extremitates perducit, ut Chymici loquuntur, qualitatesqve earum alienas manifestat; partim quatenus Calor vividus & vegetus etiam Contentis spiritum ingenerat,

rat, qui odorem spargit. Unde si odor Contenti sit nullus, Caloris imbecillis indicium est, qui materiam non resolvit, nec spiritum gignit: Sin gravis & fœtidus, hic oritur à Cruditate, cui corruptio successit, maxime si à spiritu moveatur materia & agitetur, ut in Cacochymicis sæpe evenit, & in ijs, quibus ob insatiabiles animi æstus frequens est ὀργᾶν πρὸς τὴν ὀχείαν. Nam quia calor assiduâ libidine & titillatione agitatur, unâ quoque humores commovet, qui coctionem turbant. Unde inquinatio & fœtor.

QUANTITAS Hypostasis utplurimùm depẽdet à quantitate nutritionis, quæ si mediocris, ut in corporibus temperatis & moderato victu utentibus, etiam hypostasis mediat. Excedit autem, si vel copiosior nutritio, ut in pueris, vel imperfectior, ut in naturis frigidioribus,

ribus, & ob materiæ copiam, qvam calor superare nequit, vel etiam suppressâ aliquâ evacuatione, propter quam materia ad meatus Urinarios conversa sit. Deficit sedimentum, vel quia non generatur, ut in inedia, & magna caloris imbecillitate, vel quia generatum non distribuitur, ut in obstructione, vel quia generatum & distributum à Calore absumitur & dissipatur, ut in exercitatione vehementi, æstu; vel deniqve, quatenus alio convertitur, ut in diarrhæa alijsqve evacuationibus; sæpe etiam in vomicis partium principum, & in effrænatis doloribus, qui cucurbitularum instar fusam Urinæ materiam ad se rapiunt.

Ex quibus simul patet solutio quæstionis: An in sanis atque optimâ constitutione Hypostasis dari debeat? Montanus id negat. Affirmat Altomarus & rectè, quia etiam

in

in optima constitutione non omnes alimenti partes evincuntur. Quanquam & alia subsit & ponderosior ratio. Nam quia in Corpore, quod optima sanitate fruitur, quodque instar regulæ Polycleti omnia exacte temperata obtinet, Calor quidem requiritur robustus, sed copiosus & blandus, tanquam nutritioni maximè accommodatus, hic quia copiosum partibus apparat alimentum, sedimentum etiam generat copiosum. Neque enim natura omni alimento fruitur, sed parte ejus magis exquisitâ & cum delectu, reliqvum rejicitur tanqvam supervacaneum. Ab hoc Caloris temperati gradu, quantum homo recedit, tantum non quidem à sanitate, sed ab optimo sanitatis statu, vel saltem ab optima & laudatissima temperie recedere existimandus est. Nam si Calor in robore quidem sit auctus sed deficiens

in copia, & fiat acris ac siccus, nutritio non fit ita pura, Calore ob voracitatem absumente etiam ipsa recrementa. Atq; hoc in omnibus naturis & temperamentis obtinet, quo calor est minus blandus, eo nutritio minus exquisita & sedimentum minus copiosum. Ita in pueris copiosius sedimentum, quia ipsorum Calor magis, ut ita dicam, est fabrilis quam prædatorius, naturâ providâ non tantum pro nutritione sed & augmento sollicita; In adultis minus copiosum, ob Calorem auctum in robore, sed diminutum in copia, qui tamen si sit æquabilis, minus generat imperfecti illius alimenti in prima concoctione, unde etiam sedimentum diminuitur &c.

His de Causis ordinariè quidem Hypostasis optima est, aliquando tamen etiam Enæorema bonum, in naturis siccioribus & qui tenui-

ore

ore victu utuntur; & Nubecula quoque quanquam hæc minus bona, quia vix sine flatu. Quod si autem Urina Contentis omnino privetur, ni ex dictis causis aliqua adsit, & diu duret, morbos ex cruditate prænuntiat, minerâ morbi ex tertiæ coctionis impuritatibus sese colligente, & tunc cum substantiæ tenuitate ac colore albo conjungitur.

CAPUT IX.

Contenta Propria in Ægris. Eorum Causæ & Varietas.

CONTENTA Propria Hypostasin, Enæorema & Nubeculam supra sanis & ægris fecimus comunia. Conveniunt namq; non tantũ in eo, quod tam hæc atq; illa ex naturæ instituto sero permiscentur, sed etiam in Materia ex parte. Nam quia *Vivens quamdiu vivit,*

Pathol. cap. 69. *nutritur*, inquit Guardinius, *Æger etiam dum vivit, nutrietur. Nutritur autem ex Demenso. Verum quando natura est debilis, nequit convertere totum alimentum in substantiam corporis, illudq́; quod non convertit ipsa rejicitur cum sero fitq́; Contenti materia.* Eadem ergò in Ægris, quæ in sanis erit sedimenti Materia. Verùm quia in ægris, (iis videl. qui ex Minera laborant, & quorum materia est in Vasis) insuper coquitur materia morbifica, quæ si emendari non possit, à melioribus secreta foràs propellitur, fit ut sedimento ferè aliquid materiæ morbificæ admisceatur.

MATERIA ergò Contentorum in Ægris est partim portio Massæ Alimentaris, quæ propter imperfectionem assimilari non potuit, partim Humoralis, quæ Causæ Antecedentis morborum rationem habet; & ea est, quæ in Febribus

bus concoqui dicitur, cum prius cruda esset, ac naturæ alimenti penitus dissimilis. Hæc autem vel in Vasis generatur vel extra Vasa.

In Vasis potissimum ex materia sedimenti, quatenus videl. vel propter oppilationem viarum, vel alimenti cruditatem, tenacitatem, copiam, vel etiam expultricis dejectum robur, ab utilibus aut non segregatur, aut segregata & à meliorum contubernio sejuncta non tempestivè expellitur, sed retenta vitium contrahit, & corrumpitur. Quo respectu non omninò falluntur, qui eandem tantùm esse materiam sedimenti in ægris & in sanis statuunt, remotè videl.

Extra Vasa, in quatuor illis Corporis partibus, quæ inciliorum more humores vel quantitate vel qualitate peccantes & ex ipsa humoris alimentaris massa separatos excipiunt, quos ideò Hippocrates

qua-

qvatuor particulares materiæ morbificæ fontes constituit, videl. *Ce-*
4. De Morb. *rebrum* Phlegmatis, *Cystin* Bilis, *Cor* sanguinis (intellige crassi & melancholici) *Lienem* ipsius Aquæ (quæ vehiculi instar sangvinem crassum ad Lienem deducat, inde ad cor transmittendum) nempe quod hæ partes ab ipso Ventre trahant similem & familiarem sibi humorem; adeoque si vel primæ & secundæ concoctionis vitio, aut etiam propter cibi & potus improbitatem in massa alimentari humores prædicti proportionem debitam amittant, tunc in Corde quidem Melancholiam, in Cysti Bilem, in Liene Aquam, in Cerebro Pituitam coacervari & ex his veluti æstuarijs deinde in reliquas corporis partes exundare. Hoc antiquissimum & verissimum Medicinæ dogma est, à quo quan-

tum

tum subſequentium temporum labe receſſum eſt, tantum à proximis & genuinis morborum cauſis aberratum. De Bile quidem etiam communis ſententia tenet, ſi è Cyſti abundantius irrumpat in venas, febrem tertianam aliosque morbos efficere. Quot quantaque mala det Pituita è Capite ἀπ.κρισεις faciens, deſtillationes & morbi inde oriundi cum vel ſine febre, abunde loqvuntur. Morbos, qui ab humoris indole Melancholici cluunt, à Cordis Proſcenijs in Palæſtram prodire omnes, horum ſymptomata ſatis teſtantur. Lieni verò vel ſoli Cachexia, Hydrops ſimilesque morbi debentur, in qvo ſi aquoſitas nimia fermentum, quod pro concoctionum celebratione corpori apparat Univerſo, diluat & enervet, nec in ventriculo chylus bonus generatur, & qualis ad partium nutritionem idoneus.

neus est, propter idonei fermenti defectum, unde etiam aquosus & dissolutior sanguis: nec in partibus ritè fit assimilatio, elanguescente in spiritibus partium fermentandi potentia, eò quod Cor quem toti spiritum submittit, ex fæcibus dilutioribus non ita purum & consistentem blandaq; aciditate luxuriantem educat, unde cum alimentum non per minima penetretur, neque ipsum tam pervadat partium substantiam quibus apponitur, quam circumfluat, fit Cacotrophia & Inflatio partium in Anasarca conspicua &c.

In his ergò aliisvè morbis, qui sunt à Minera, indicium Contenta facient, tùm directè, quatenus materia non tantùm ex venis, sed ex partibus v. gr. ex capite deciditur & cum Urina regurgitat, tùm indirectè, & per consequentiam, quatenus ab his partibus communicatæ

nicatæ & in alias influentes vitium faciunt, à quibus proxime in Urina suscipiuntur; cum quibus si reliqua signa & symptomata conjunxeris, non parum ad judicium circa morbi cognitionem firmandum momenti adferent. Quomodo autem pro horum humorum diversitate Contenta in colore alterentur, satis constat ex ijs, quæ supra de Coloribus in Liquore diximus, & verò in Febribus superveniente concoctione hos colores plerumque obliterari contingit.

CAUSA *Efficiens* ratione *Materiæ alimentaris* est solus Calor nativus, qui quia in morbo debilior est, Contenta etiam crudiora & minus elaborata producit: quæ tùm sunt optima, cùm sanorum sunt simillima, videl. alba, levia & æqualia, deteriora autem, quæ à sanorum contentis longius recedunt. Idem Calor in morbis con-

coctio-

coctionis spectatur vel ante vel post concoctionem. Ante, quatenus dum distringitur concoctione materiæ morbificæ vel non generat sedimentum, vel generatum non expellit, ad qvod accedit focus mineræ ad se rapiens hanc materiam tanquam fomitem idoneum; unde in principijs morborum nullum utplurimum sedimentum: Post Concoctionem autem & superatâ nonnihil causa morbifica, dum natura ad consveta nutritionis munia redire incipit, simul quoque excrementa generari incipiunt, & primum quidem Nubes, ob Calorem adhuc imbecillem; deinde Enæorema, procedente scil. nutritione, quod tandem in Hypostasin laudabilem una cum sanitate terminatur.

Causa *Efficiens* ratione *Materiæ Humoralis* est partim Calor natu-ralis, quatenus agit in materiam mor-

morbificam eamque nititur convertere in substantiam corporis, partim præter naturam, quatenus hic ex altera parte putrefacit & corrumpit eandem materiam; cujus respectu Galen. sedimentum puri proportione respondere docet: Imò tot distinctè ἐμφερόμενα urinis permisceri scribit, quot in abscessibus puris differentiæ inveniuntur. Verba ejus sunt hæc: *Quotcunque in abscessibus putredinis sunt differentiæ: totidem & in febribus, quæ ex putredine accenduntur, sunt eorum quæ in Vrinis apparent formæ. Optima vero Vrina quæ à putrescente humore concoctionem à continente vase suscipiente, perficitur est, quæ album, leve & æquale ac minime fœtidum sedimentum habet.* Hanc Veterum & Galeni sententiam Fernelius pernitiosum Philosophiæ commentum appellat. *Non enim torrida bilis*, inquit, *quæ ardentis febris*

l. d. differ. febr. c. 6.

d. Vrin. cap. 17.

bris est materia, aut in pus aut in quippiam simile puri verti potest, neq; eadem hujus atq; phlegmonis ratio. Neque, addit, *febris materia in statu jam cocta, dum tandem perfectâ Crisi ab alvo dejicitur, unquam purulenta apparet, aut alba, sed planè flava atque biliosa. Quî fiet igitur, ut hypostasis, quæ in statu febris ardentis alba conspicitur, portio sit ejus flavæ materiæ, quæ computruerat & quæ nunquam albescit.* Verum quia hæc à Sennerto alijsque refutata jam sunt, ijs hic non immoramur, præsertim, cum, qui operum naturæ gnarus est, non ignoret, naturam ut materiæ ferociam reprimat, benigniora ei remiscere, quibus temperata, subacta & edomita cum naturâ faciem quoq; mutat, & quia in venis, talem acquirit, quæ puri similior, à qua diversam esse, quæ per alvum rejicitur, minimum non est. Ad postrema saltem

Fer-

Fernelij verba, quæ Sennertus non attigit, nec minorem tamen habent difficultatem, nonnihil addimus. Sunt autem hæc: *Adhac si in statu portio noxia materiæ excidit, in principio verò & incremento nihil, urina in statu quàm in principio vel incremento crassior existet; quod quotidianis observationibus falsum deprehenditur. Vt enim in principio acutarum febrium cruda & confusa, ita & crassa cernitur urina.* Quin imò principio febrium ardentium Urina sæpe est crassa & turbida, quia per coctionem quotidianam, quam Calor nativus facit in Venis, semper aliquid materiæ morbificæ deteritur, & cum Urina expellitur: Et quamvis ista non sit proprie concoctio humorum morbificorum, suo tempore per Crisin expellendorum, tamen quod quotide fit, potest etiam die Critico critice fieri, idq; præstantius, inquit Guardinius. *ibid.*

Calor

Calor ergo dum materiam morbificam aggreditur, vel eam deterit sine concoctione propriè dictâ, ut in morbis sine febre & initio etiã in Febribus. Sine febre, quatenus materiã attenuat & educit, unde sedimentum Tenue sed Crudũ, quod si cōmotâ matula nõ assurgat, nec urinã conturbet, morbũ longũ significat, ob cruditatem ingentẽ propter quã partes etsi attenuatæ sunt, separatæ tamẽ non fuerunt sed unitæ & quasi conglutinatæ manserunt, &c.

In Febribus, si materia sit Cruda & Copiosa, tunc natura quia toti par esse desperat, partem ejus amputat, quæ cum Urina proturbata foras, vel non subsidet, sed Urinam Confusam exhibet, in magna turbatione & ob putredinem; vel subsidet sed cum divulsione, in minori turbatione. De hoc est Aphorismus Hippocratis: *Quibuscunq; Vrinæ distantes sunt, his turbatio fit in* *cor-*

Sect. 7. aph. 32.

corpore. Quo autem fuerit crassior, eo majorem cruditatem significat metumque ingerit, ne ante concoctionem fatiscat natura, præsertim si multa sit & mali coloris. Hic si absit, & vires constent atq; natura se recipiat, tunc paulatim incipiente concoctione & attenuatione humorum Enæorema conspicitur; cum amplius concocti & attenuati sunt, Nebula oritur, quæ postliminio in bonam hypostasin redeunte videl. nutritione desinit. Ex quibus etiam apparet, quomodo Contenta materiæ alimentaris, à Contentis materiæ morbificæ in ægris discernenda sint.

Si Natura sit par & initio statim coquat, tunc quantum concoxit, tantum criticè separat & fit vel Hypostasis vel Enæorema pro materiæ differentia. Nam si sit materia crassior, ut in morbis & naturis frigidioribus, initio Hypostasis apparet;

ſi tenuior, ut in Calidis, Enæorema vel etiam Nubecula. Hoc expreſſe
1.d.Criſ. docet Galenus: *Qui ex otio & re-*
.cap.12. *pletione febricitant*, inquit, *ſi ſanitati reſtitui debent, neceſſario plurimum ſubſidet: minus vero in iis, qui ex inedia & labore ægrotant, & ſufficit in his Nubecula vel Enæorema bonum*. Et alibi: *Sedimentum habet copioſum urina quoties morbus ex*
2.Pro- *crudis humoribus fatigat. Nullum*
gn.t.26. *verò aut omnino minimum quoties ex biliosis oritur, ſed ſatis erit, ſi habet Enæorema.* Et quidem hæc tunc ſunt ſalutaria cum ſunt ſanorum Contentis quàm ſimillima, videl. Hypoſtaſis alba, levis & æqualis, & tale quoque Enæorema. Quod ſi longius à bonitate recedant, minus ſunt ſalutaria. Ita ſi Hypoſtaſis ſit farinæ craſſiori ſimilis, longum morbum ſignificat, decreto Hip-
Aph.30. pocratis: *Quibuscunque febricitan-*
Sec.7. *tibus in Urinis fiunt ſedimina, veluti*

farina

farina crassior longam ægritudinem significat. Farinaceum intellige sedimentum non quod ex adustione tale est, ut vult Galen. sed ex *humorum crudorum concretione*, ut rectius Actuarius annotat, hoc enim solum longum morbum significare potest. Ita etiam si biliosa sit. Sic enim idem Aphorismo sequenti: *Quibus autem biliosa sedimina supra tenuia, acutum morbum significat.* Ad quem Cardanus: *Quæ enim ex materia tenui sunt affectiones, periculosæ sunt & breves, at tales sunt acutæ*, docente Galeno. Neq; saltem sanorum similia esse debent hæc Contenta, sed & per plusculos dies talia manere, imò toto morbi tempore perdurare oportet. Nam si quis talia per tres quatuorve dies inculpatè mingat, postea verò culpatè, summum periculum notat, quoniam natura quæ Crisin salutarem moliebatur, partemque mate-

1. *d. Caus. Vr. c.* 10.

rix concoctam excernebat, miserabiliter succumbit, pressa vel quantitate vel qualitate malignâ humorum peccantium, ut Vassæus rectè observat. In genere verò etiam videndum an cum alijs bonis signis conjungantur: Ita si sedimentum multum in statu vel etiam in declinatione morbi appareat cum bono Urinæ colore & consistentia, salutem indubiè promittit, &c.

CAPUT X.

Contenta Aliena. Eorum Differentia & causa.

QUEMADMODUM Contenta Propria ex naturæ instituto & mediante concoctione Urinæ permiscentur: Ita Aliena quæ appellavimus, præter Naturæ institutum aliunde adveniunt, neque tam Concoctricis Vasorum, quam

quam Expultricis membrorum effectus censeri debent. Unde etiam naturam referunt eorum, ex quibus deciduntur, tùm Humorum, ut quando unà cum sero excernitur Sanguis, Pituita, Pus: Tum Partium, quarum vel particula sunt, ut Oleum Pinguedo, Farina, Furfures, Squamæ Carunculæ; vel in iis peculiari modo continentur, ut Pus, Arenæ, Calculus. Quibus adde Pilos, Pulveres & Flocculos, & aliquando etiam Vermes. Et ex his si quæ aliquando in Urina subsident, Hypostasis crasso modo dicitur.

SANGUIS intellige integer Urinæ permiscetur ex Renibus & Vesica potissimum; raro ex reliquo corpore, & ex renibus quidem purior, ex Vesica graveolens. Qui ex Renibus effluit, vel à venula rupta prodit, de quo Aphorismus Hipp. *Qui sponte sanguinem cum Vrina ef-* *Aph.* 78. *S.* 4.

fundunt, iis in renibus venulam ruptam esse significat. Et tunc punctiones adsunt in sinu renum: Vel ab Ulcere, quod si recens fuerit, sanguis purus exit aut in grumum conversus, si inveteratum ac sordidum, cum pure. Et ita in Vesica. Utrumque comprehendit Hippocrates hoc Aphorismo: *Si sanguis*
Ap. 75. *aut pus cum urina redditur, renum*
S. 4. *aut vesicæ exulceratio significatur.* Utrum autem in Rene sit ulcus an in vesicæ cervice, ita dignoscere docet Fernelius, quod, si à *cervice, ingenti partis dolore manat, à rene nullo ferè sensu doloris, quodq; à pene*
4. Vrin. *aut à vesicæ cervice omnia vel seor-*
cap. 16. *sum sine urina, vel emictionis initio profluunt; è renibus verò vel cum urina diligenter permista vel sub emictionis finem, sed quæ mox in quiete subsideant.* Illud autem hîc prætereundum non est: quod si sanguis effluat sine dolore & febre, bono

est

eſt & ulcus exſiccari ſignificat, ſin cum febre vel dolore, ſuppuratur, unde tunc de pure etiam prædicere licet. Hæc colliguntur ex Hippocrate: *Sanguinem mingere raro quidem & ſine febre ac dolore nihil mali ſignificat, ſed laſſitudinum ſolutio ſit. Si vero ſæpius mingat, & aliquid ex his acceſſerit, malum eſt.* Fit etiam aliquando, ut calculi majores portiones per Ureteres deſcendentes ſangvinẽ ſecum rapiant nigricantem & grumoſum. Si horum nihil adſit, erit ex locis, qui ſunt ſupra renes, videl. venâ Cavâ, ut in magna ſanguinis copia inſiliente in hæc loca; & in Mulieribus etiam ſanguis menſtruus &c. *2. Præd.*

PITUITAM qui vel è Cerebro vel è crudiore ventriculo in veſicam permeare ſtatuunt, eos turpiter hallucinari, tanquam Anatomes & operum naturæ ignaros ſcribit Fernelius, *quomodo enim per Venas,* inquit, *d. Vrin. cap. 16.*

inquit, *illa pura, nec sanguine tincta nec perfusa defluat in renes, hosq; sola praeterlabatur.* Verum ut de Ventriculo id concedamus, in quo nisi in magna viarum laxitate id fieri vix possit, de Cerebro tamen Fernelio assentiri non possumus; non deesse hîc viam demonstrabimus, cum de pure agemus. Neque tincturas natura confundit, alias omnia, quæ ex venis defluunt, sanguine tincta conspicerentur, & si quid etiam traheret, id tanquam superficiale deterreretur in vijs, quas transfluit. Pituita ergò ex Capite, quin & ex Pulmonibus ad Vesicæ vias derivari potest, atque hæc tum spumosa apparet. Quæ autem muco est similis & matulæ fundo inhærescit, si nullo dolore fluat, è crudo renum aut circumpositarum partium ulcere aut abscessu illabi, Fernelius author est, si cum dolore & cruciatu, vesicæ calculum aut cervicis sordi-

ſordidum ulcus deſignare. Et de Calculo quidem dubium non eſt, in quo Veſica à tam crudeli hoſpite oblæſa alimentum ſuum indigeſtum & deturpatum continuò plorat & ſubinde novum irritatione accerſit. Unde & Joubertus rectè veſicæ calculoſæ excrementum eſſe hunc mucum ſtatuit; neque tamen Fernelius erravit, quando illum à renibus affluere & veſicæ vitio ac imbecillitate concreſcere tradidit. *d. differ. Vr. c.* I.

SEMEN ſive reſolutiones ſpermaticæ, niſi aut Concubitus præceſſerit, aut Pollutio aliquidve ſimile; vel eſt à magna ſeminis copia, quæ quando non obſtruit teſticulos aut ἐπιδιδύμιδα, redundans cum Urina excernitur: Vel à Gonorrhæa, debilitatâ retentrice vaſorum ſeminalium, quæ ſi diu duret, ad mortem comitatur. Quod ſi autem Gonorrhæa virulenta ex fæda Veneris lue paraſtatis inſede-

rit ex corrupti ac fætidi humoris defluxu Urina alba, crassa, turbida cum fætido crassamento exoritur. Fernelius tamen in his urinis, initio filamenta quædam apparere censet, tenuia primùm, deinde crassiora, de quibus suo loco. Illud certum est, semen si corruptum non sit, Urinæ semper innatare, tanquam tenue & leve, quo ipso etiam à pure & pituita, quæ subsident, distinguitur.

OLEUM hic consideramus, quatenus divulsim Urinæ supernatat & per puncta. Apparent autem hæc puncta & quasi olei granula & in medio & in circulo, aliquando pauca, aliquando plura, nunc majora, nunc minora, & splendent & sunt coloris aurei ut oleum. Diceres olei pauculum infusum, sed oleum infusum supernatat & diffunditur, hoc in granula colligitur, *& non supernatat, nisi media & superio-* re

in Aph. 34. S. 7.

re parte Cardano teste. Idem hæc bis à se visa perhibet, non meminisse tamen, in quibus morbis, esse autem rem raram & miram. Verum Guardinius, eadem ostendere quæ pinguedo, quamvis mitiora.

PINGVEDO si sit tenuium partium, Urinæ supernatat, ex doctrinâ Galeni, si crassarum, subsidet, ex Willichij sententia. Nec fallitur fortassis; nam & in oleo amurca subsidet & in pinguedine liquefacta fæculentius crassamentum, & quin simile quid in absoluta supputatione fieri possit, non ita absurdum videtur. Oritur autem ab adiposæ partis colliquatione. Nam quæ frigore concreta sunt, à calore eliquantur Aristoteli. Pinguedinem autem à frigore concrescere, commune est dogma Scholarum. Porrò Pinguedo in superficie Urinæ dupliciter apparet: primò quando Urinæ innatat instar telæ arane-

arum. De hac extant verba Hippocratis: *Neq; leviter terrere nos debet Vrina, cui Pinguedo telis aranearum similis innatat, quippe quæ hominem tabe consumi significat.* Ad quæ recte monet Willichius, subintelligendum esse, si febris perpetua hominem corripuerit. Hæc enim si absit, nihil tam inauspicatum portendi experientia docet. Ita de se Cardanus testatur, vidisse se in Urina sua ejusmodi pinguedinem singulis diebus per qvadraginta annos sine ulla noxa, nec non in pluribus alijs. Et ipse quoque memini me Dantisci in Patria mea Charissima, illam in Studioso quodam Ungaro observasse, ceteroquin satis sano, nisi quod Affectione hypochondriaca tentaretur. Hanc autem Cardanus ibidem vesicæ acceptam fert, conjecturam petens ex Galeno, qui de Urinæ pinguedine agens, monet nos ne vesicæ vitio decipia-

2. Præs. sent. 35.

Prob. Vrin. p. 2. cap. 17.

Com. in Aph. 34. S. 6.

in Hip. 2. Prog. t. 37.

cipiamur. Verum Galenus ibi de alia pinguedinis ſpecie loquitur. Et niſi me στοχασμὸς Medicina fefellit, in quo ego illam obſervavi, è renibus erat, horum enim manifeſta intemperies aderat. Ipſa etiam ratio id mihi facilè perſuadet. Nam quia renes copioſa pinguedine præditi ſunt, à qua exſudans oleoſus humor meatus ne à ſeri acrimonia lædantur, oblinit, facile fieri poteſt, ut calore partem ejus peculiari modo attenuante & ſubtiliſante ejusmodi virgulæ pingues in Urina oboriantur, quæ à ſero transfluente diviſæ, atque ſeſe iterum, qua datur, unientes feneſtratam ejuſmodi ſpeciem ac aranearum telis ſimilem repræſentent.

Deinde Pinguedo aliquando in Urinæ ſuperficie concreſcit cruſtularum inſtar, quales videl. in lebetibus conſpiciuntur, cum jus à frigore concreſcit. Hoc expreſſe

Com. in 2. Prog. docuit Galenus: *Quale pinguioribus jusculis refrigescentibus supernatat, vocata à multis crustulâ, tale in Vrina ex consumtione existit.* Hanc sæpius à se visam idque in magnis Hecticarum colliquationibus, Cardanus testatur. Prodit autem cum Urina vel sensim in febre, & tunc totius corporis colliquationem significat, vel confertim & cum calore, dolore ac renum lassitudine, & tunc renum vitio contingit. De hac est Aphorismus: *Quibus in Vrina adipalis superficies est & conferta, iis nephriticum & acutum morbum esse significat.* *S. 7. aph. 35.* Ad quem eleganter Galenus: *In aliis siquidem corporis partibus liquati adipes paulatim non universim exeunt cum urina. Primum enim colliquefactum pingue illud in proximas sibi venas transportatur, deinde in continuas, indeq; rursum in alias traducitur, donec tandem in renes perveniat. Renum*

num vero colliquefacti adipis in urinas traductio celerrima est, nec paulatim sed confertim universimque fit, atque ideo renum affectionem significat. Willichius quidem hunc Aphorismum non de innatante pinguedine sed de subsidente intelligendum censet, verum apertè contra Galenum, qui ἐφίςασιν non ὑπόςασιν legendum esse docet. Interim non negamus, si absoluta fiat suppuratio, etiam aliqvid oleaceum & crassum subsidere posse: Adeoq; si tale sedimentum appareat cum innatante simul pingvedine tenui, gravem affectum nephriticum significari. *Pro Vr. p. 4. c. 17.*

FARINA, *Furfures, Squamæ, Eruum*, ijsdem ferè de causis oriuntur, & magnitudine saltem differentibus. Causa autem juxta Galenum est Colliquatio carnis à calore adurente. Huic ex Recentioribus nonnulli contradicunt, ut *2. Prog. t. 28.*

Hercul.

Hercul. Saxonia, Argenterius, Reusnerus, quibus Sennertus quoque subscribere videtur. Reusnerus maximè urget rationem supra ex Aristotele allegatam: quod quæ calore concrevêre, à calore vicissim non liquentur sed indurentur. Verum hæc ratio pro Reusnero hîc militare nequit. Apparet enim Reusnerum non legisse, quæ apud Hippocratem extant, *fibras* ex quibus caro concrescit, *frigidas esse*, concretionemque carnis fieri cum frigidum superavit calidum. Quod autem addit: *Exponas Sole sub Syrio frustum carnis, nunquam liquabitur.* Hic certè Viri istius judicium desidero. Nam quis quæso nescit, quanta sit Caloris externi & sicci humidumque evocantis, & quanta interni in humido consistentis & mediante humiditate operantis differentia: qui si vividus sit & æquabilis, tenues partes per transpiratio-

in Wil. P. 2. c. 24.

d. Princ. t. 16.

rationem educendo reliqua magis stabilit & confirmat; conclusus & marescens & impositus existens, cum tenuia non educat, crassiora simul laxat & colliquat (non aliter quemadmodum calor qui est in cortice aurantio, eum in umbra laxat & colliquefacit) quæ deinde effervescens adurit & exarefacit. Ex quibus etiam evidens, quid Herculi Saxoniæ respondendum sit, quando ex *carne molli colliquatâ tenuiorem tantum humorem exprimi, tunicas autem venarum interiores in vivente animali nunquam & nusquam sanguine posse esse adeò vacuas, ut igneus calor præ nimiâ siccitate possit eas ita exsiccare, ut quid decerpatur, & quasi scabies iis inducatur*. Nam quia v. g. in Hectica est Calor aridus urens & mordax, qualis vel ipso sensu in hecticorum vola & plantis pedum percipitur, partes quæ ob Caloris nativi exsoluti- d. Vrin. c. 16. & 17.

onem

onem fracescebant, exurit resecatque nunc squamarum nunc furfurum specie, idq; non tam exsiccando, quam corrodendo, exedendove aquarum corrosivarum instar, quia humidum corporis à calore febrili ex dulci & balsamico factum est corrosivum. Nec obstat alius locus Galeni, quem Sennertus adducit: *Nunquam animali viven-te, partes fibrosas & membranosas colliquescere posse*: quia ut ex verbis apparet, Galenus ibi hoc voluit, partes solidas ita resolvi non posse, ut in liquorem abeant, sed in corpuscula quædam crassiora, de quibus hic sermo est. Velimus itaque Galenum explicare potius, & ut idem alicubi monet, *Veterum sententias conservare potius, paucisque quibusdam appositis aut etiam immutatis auferre dubitationem omnem, quam mutare in totum*, & nova jacere dubitationum fundamenta

10. meth med. in fin.

3. d. diffic. resp. cap. 2.

ta, de quibus etiam meliori fortè jure dubitare possint posteri.

Omnes ergo à Calore colliqvante & adurente origine habent, materia autem differunt. Nam postquam absumto jam cute pingui febris ad carnem usq; processit, *Farinaceum* sive Eruinum Sedimentum oriri volunt Actuarius & Galenus, in quo videl. globosa apparent corpuscula instar erui, quod excoriatum rubescit. Idq; si febris adsit, totius corporis affectũ significat; sin absit, renũ; præsertim si ἀθρόως mingatur. Postquam jam non carnẽ tantũ sed & solidas partes calor depascitur, Furfuraceũ & Squamosum sedimen apparet; & Furfures quidẽ à Squamis Cardanus distingui docet *tenuitate & parvitate & colore magis obscuro, quia ob tenuitatem magis aduruntur*. Squamosum autẽ sedimentũ per id cognoscitur, qvod in eo latæ parvæq; pelliculæ *in Hip. aph. 77. S. 4.*

latis

latis unguium præsegminibus similes conspiciuntur. Utrumque si Urina si tenuis & cruda, potius consumtionem & tabem; sin Crassa vesicæ labem significat. Unde Hippocrates: *Quibus cum urina crassa furfuri similia quædam simul exeunt, his vesica scabie laborat.* Ubi Galen. *Quemadmodum enim cutis superficies tenue quiddam per scabiem, lepram & lichenas abjicit ac deperdit, sic cum pars quæpiam interna simili aliquo cutis vitio laborat, furfurosas cuticulas una cum Urinis emittit.* Atque ita à Scabie *Furfures*; quod si hæc scabies in ulcus abeat, quemadmodum etiam in communi scabie persæpe fit, tunc erosâ profundiore vesicæ substantia *Squamulæ* exeunt. Hoc alio Aphorismo Hipp. docuit: *Si sanguinem & pus minxerint & squamulas & gravis odor adsit vesicæ ulcerationem significat.* Squamulæ ergo è substantia profundius

Aph. 77 S. 4.

Aph. 18. S. 4.

fundius evelluntur Hippocrati, non autem à superficie abraduntur, ut communis habet opinio. Determinantur autem ad Vesicam per sanguinem & pus & odorem gravem; hæc enim sese in ulcere vesicæ consequuntur: nam à sanguine, rupto quomodocunq; vase, seu per erosionem, seu aliter, sequitur sanies, & ex sanie erodente squamulæ ex vesicæ substantia excidunt, demum profundo facto ulcere fit odor ille teterrimus; quæ si absint, aliunde has squamulas esse posse innuitur, videl. ex venarum tunicis ut Galenus tradidit, & tunc febris aderit, urina vero cruda, ut diximus; hocque diligenter inculcat Galenus, quando urinæ cruditatem tabidi corporis, concoctionem vero affectus vesicæ notam esse non semel monet. *Carunculas* deniq; exulceratorum renum substantiæ particulas esse Galen. author *Com. in Hip. 4. aph. 76.*

thor est, quanquam seipsum nunquam talem renum affectionem spectasse ibidem fatetur.

PUS in Urina, ulcus in vesicæ cervice, aut in renibus antiquatum ostendit. Et quod à vesica est, graviter olet. Quanquam enim omne pus malè olet, tamen quod ex vesica, cœteris gravius; idq; tum propter substantiæ vesicæ naturam, quæ quia carnea non est, adeoque longiore tempore & violentiore causa indiget ad putrefactionem, magis putrefit, tùm propter naturalem loci inquinationem. Quod à renibus aut etiam superioribus partibus ad vesicam defluit, eo minus est malum, quo minus malè olet, juxta Hippocratem: *Pus optimum est quod minimum est graveolens.* De-
Pr·gn. pag. 3.
fluit autem ex jecore, pulmone quin & cerebro ipso, in inflammatione hepatis, in Pleuritide, Phrenitide, Angina & Peripneumonia.

Et

Et in Phtyſi memini me ex rupto ulcere ejuſmodi pus ſanioſum & admodum graveolens vidiſſe, idq; copioſè nec una vice redditum ſed per aliquot dies, donec tandem æger quarto die vitam cum morte commutaret. Via autem qua ad veſicam perveniat in Peripneumonicis & Pleuriticis eſt per ſiniſtrum cordis ſinum in arteriam magnam & hinc in emulgentes. Pleuritici tamen etiam per venam ἄζυγον expurgantur. In Anginà verò & Phreneſi puris tranſitus fit à venis jugularibus in venam cavam, indeque in emulgentes. Et per hanc viã ſæpe etiam catharri capitis expurgantur, qui ſi craſſiores ſunt, urinæ ſtillicidium inferunt, Galeno teſte, id *in Lib.* quod contra Fernelium hîc annotare voluimus. *d.diæt.* Diſcernitur autem *Idiot.* à Pituita Pus, non tantum odore *com.* 32. gravi, ſed etiam quod illa craſſa atque tenax ſibi cohæret, pus vero

agita-

agitatum mox dissolvitur ac diffluit.

ARENÆ nihil videntur esse aliud quam cineres cocturæ sanguinis, adeoq; rudimentum accipere in Jecore, complementum in Renibus vel vesica, quatenus vel à renum siccitate granulantur, vel Vesicæ glutine coagmentantur; ibi rubræ sunt, hic albæ, idque à genialis loci colore. Utrasque Calculi esse nuncias, rubras quidem renum, albas vesicæ, communis sententia est. De vesica quidem indifferenter Hippocrat. pronuntiat; *Quibus in Vrinis arenosa subsident, iis vesica calculo laborat.* Ubi Galen. addit id etiam de renibus accipiendum esse. Verum rubræ quidem proximè calculum non significant, sed intemperiem renum siccam, quæ quia etiam calculi causa est ex Plateri sententia, hinc fit quod tanquam effectus conjungantur non

Aph. 79 *S.* 4.

tamen

tamen semper nec necessario, quia siccitas renum harum causa adæquata non est sed partialis tantum. Requiritur enim materiæ prædispositio, quæ à jecoris intemperie dependere videtur, propter quam sanguis terrestrior generatur & siccus. Utraque causa, quia in senibus locum habet, hinc fit quod senes plerumque renum calculo sunt obnoxij. Pueri vero vesicæ, ob glutén copiosum & expultricis debilitatem. Hunc autem arenæ significant non uno modo quandoque augeri, quandoque diminui. Si enim prius non apparentes quotidiè multiplicentur magis, quousque tandem minus appareant, lapidem diminui significant; quod si prius apparentibus multis quotidiè diminuantur, significant lapidem confirmandum, quando vero penitus non apparent, nec tamen purgatæ sunt, confirmatum. Ergo

Urina

Urina arenosa calculum indicat quantum ad tempus generationis & dissolutionis ejus. Quantum autem ad tempus, quo jam completam acquisivit concretionem, non apparet sedimentum arenosum sed urina mingitur tenuis & clara, eo quod calculus in ureteris caput insertus vias obstruat; quam tamen, ut eleganter Fernelius monet, Urina Crassa, turbida, rubra aut subnigra præcessit, tunc videl, cum calculus ex substantia renum in capacitatem eorum excuteretur & Crassa quoque ac turbida atq; etiam verè cruenta sequitur, si videl. in rene coercitus labore aut exercitatione valida renem ureteresq; proterat, atque tum sæpe concreti sanguinis thrombus in urina subsidet.

d. Vrin. cap. 16.

Aph. 76. *S.* 4.

PILOS cum Caruncul is in Aphorismis conjunxit Hippocrates: *Quibus cum Vrina crassa Caruncula*

parva

parva ac veluti capilli unâ exeunt, iis à renibus excernitur. Galenus hæc distinguit, quem sequitur Cardanus, & Carunculas quidem renum significare exulcerationem, pilos autem nequaquam. Alii tamen, ex quibus etiam Reusnerus, *in Wil. p.4.c.26* existimant saniem ex renibus ulceratis defluentem suâ acrimoniâ fibrosa ureterum & vasorum renibus adjacentium corpora abradere posse, quæ cum Urina instar vel Capillorum vel etiam Carunculárum reddantur: Cum enim fibræ sint fila quædam oblonga, gracilia, solita capillarem ejusmodi figuram resolutas referre. De hoc experientia consulenda & expectanda est. Nam si cum Urina Crassa, id est, turbida talia capillamentā exeant, & alia exulceratorum renum signa adsint, pro his pronuntiandum erit. At si cum Urina crassa, id est spissioris & com-

pactæ consistentiæ, qualis est benè concocta, conspiciantur, accedendum Galeni & Cardani partibus. *in Aph. 76.S.4.* Generantur autem Pili Cardano ex materia tenui, lenta & terrea & à Calore torrefaciente. Similitudinem vero capillorum adipiscuntur propter vasorum quæ à renibus descendunt longitudinem, ad quam humores assatione spissiores *ibid.* redditi extenduntur. De his Cardanus testatur, se vidisse capillos flavos ad palmi majoris longitudinem quandoque cum doloribus renum vehementissimis & urinæ suppressione, quandoque absque morbo, & ita etiam aliorum colorum. Res autem mira est, quam de Hispano quodam narrat, qui in omnibus excrementis, etiam in sanguine pilos emiserit.

Aliam adhuc horum Causam a- *d. Vrin. cap. 16.* nimadvertit Fernelius. Etenim Filamenta albis capillis similia à vasis sper-

ſpermaticis paraſtatis ſcil. derivari ſcribit, in quibus teretem ejuſmodi figuram ſortiantur ex materia ſeminis, quæ inibi defluens calore loci concreſcat: Plurimaque apparere in ijs, qui gonorrhæa Venerea non ita pridem correpti fuêre; & in mulieribus, quibus albi menſes fluunt, aut quorum uterus fæda colluvie turget: nonnunquam etiam à concubitu proximè apparere, quanquam hîc paulò craſſiores; quæ omnia ſequentium temporum experientia comprobavit.

Superioribus Recentiores addunt PULVEREM ſive Reſolutiones Pulverulentas, quæ quia terreſtres ſunt & graves, in fundo matulæ ſubſident. Ortum habent ex atra bile & calore immodico adurente materiam & in pulverem concremante, in obſtructione præſertim; quæ propterea etiam nigræ apparent aut lividæ, idque in

hæmorrhoidibus vel etiam suppressione mensium; quod si nonnihil flavescant propter adjunctam bilem, sæpe sanguinis vomitum significant, in retentionibus mensium familiarem, ut & magnam pectoris angustiam, propter regurgitationem sanguinis menstrui ad membra socia, & hinc dolorem artuum, pandiculationem assiduam, cum pallore faciei, emaciatione corporis, & sterilitatem quoq; ob inclinationem uteri &c.

FLOCCULI denique aliis atomosæ resolutiones & alba minuta dicti, quia tenuis farinæ instar Urinæ innatant, fluxiones denotare creduntur, & inde oriundam artheticam, idque in utroque sexu; in muliere vero etiam conceptum, & tunc vel hypostasin deponunt, vel suspensum crassiusculum adinstar carptæ tenuiter lanæ, quod si subrubrum fuerit & conglobatum, mascu-

masculum significat ob robur caloris, sin album & quasi lividum & latæ formæ, fæmellam, cum Urina turbida virescente aut livescente. Verum hæc ut incerta admodum & dubia ratione nituntur, ita persæpe fallunt.

VERMES cum Urina emictos de se Cardanus primus quod sciam prodidit, eosque albos, breves, tenuissimos, qui nec pediculi dimidium æquarent, & diu viverent. Causam eorum nec ipse addidit, nec à quoquam inquisita est, illud mirum eorum generationem ab urinæ salsedine non prohiberi. Sed ideo inter rara sunt. *Com. in Apor. 76. S. 4.*

CAPUT XI.

De Corona, Bullis & Spuma Vrinarum.

HÆc quanquam inter Contenta communiter numerantur,

ad Liquorem tamen potius referenda videntur, à quo tantum modo differunt. Verum ratione materiæ quidem ad Liquorem pertinent, ratione formæ autem ad contenta referas licet. Quare etiam de his ultimo loco & separatim nunc agimus.

CORONA nihil est aliud quam Linea per umbram depicta, quæ Urinæ superficiem in circumferentia Vasi urinario adhærentem cingit, unde etiam alio nomine Circulus appellatur. Hujus Caussam qui in humore aliquo determinato quærunt, ut Joh. Baptista Montanus, Argenterius & Hercules Saxonia, ejus naturam non satis videntur considerasse. Nam etiam in quocunque alio Liquore, si vitro pellucido infusus fuerit, Circulum apparere, & Sennertus observavit & oculi testes sunt. Oritur ergò Corona materialiter quidem à partium

Senn. d. Ur. c. 9.

tium dissimilitudine aut humorum exagitatione, vel etiam tinctura evidentiore. Formaliter verò à reflexione luminis & radiorum, quatenus videl. lumen in superficie liquoris aliter refringitur & recipitur quam in medio. De dissimilitudine partium est apud Fernelium, qui Coronam propterea aliquando non animadverti docet, quod æqualis & ubiqve sui similis existat. De humorum agitatione quoque patet, quoniam in hac flatus excitantur, qui in Urina interclusi Coronam turgescere faciunt. Sed & tinctura evidentior addenda est, nam si Urina parum tincta sit, circulus etiam vix apparet. Refractio autem radiorum in superficie in Causa est, ut multa de substantia & colore in Circulo oculis subjiciantur, quæ in reliquo Liquore cerni non possunt; unde etiã præ reliquo Liquore significandi vim habet.

Significationem autem habet duplicem generalem & specialem. Generalis est, quod, si Corona meliorem quam reliqua Urina colorem exhibet, vires ægri humoribus superiores esse significat, adeoque salutem prænuntiat, Contraria contrarium. Specialis vero, quod fere, qualis in venis majoribus sit sanguis, monstrat. Nam secundum Fernelium Corona Tenuis & alba aquosi sanguinis nota est; Crassa & alba pituitosi; Rufa vel Citrina, temperati; Crocea bile flava conspersi; Flammea, biliosi & tosti; Livida vel nigra, melancholici, atque ita morborum inde oriundorum indicium præbent. Qui autem hæc ad Capitis usque vitia extendunt, ita ut pro quadruplici humorum sede, videl. sangvinis in fronte, flavæ bilis in dextro tempore, pituitæ in occipitio atræ bilis in sinistro tempore, Coronam quæ prædomi-

d. Urin. cap. 16.

nantis

nantis humoris est index, insimul harum partium dolorem & affectus signare velint, de ijs verè Terentianum illud usurpari potest: *Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant.* Hypothesi enim nituntur non tantum plus quam ficulneâ, sed & pænè ridiculâ.

BULLÆ vel separatim in Urinæ superficie consistunt, vel etiam aliæ alijs connexæ sunt; cum & connexæ sunt vicem & aliæ alijs insident, *Spumam* efficiunt. Generantur autem Bullæ ex materia lentâ & crassâ. Ita pueri solent lixivio adimiscere saponem, ut cum culmo ampullas efficiant: quod enim lentum est, multum extendi potest & in magnum spatium, oleum autem quod saponi immistum est, absumta jam parte tenuiore maximè cohæret. Causa est Calor imbecillior, quatenus hanc materiam non potest incidere neque satis attenuare;

Hinc Bullæ morbum frigidum significant, eumq; longiorem, si diu permaneant, materiæ enim majorem tenacitatem indicant, ob qvam non facilè dissolvuntur & considunt. Significant autem nonnunquam Capitis affectionem & defluxum materiæ ad pulmones, aliquando etiam morbum renum. Capitis affectum quidem, *quia cum in superficie generentur, significant materiam spiritu depulsam ad subliminorem partem* inquit Actuarius. Et hæ vel in Corona consistunt, vel in medio. In Coronâ, nunc integrâ serie dispositæ, & tunc Cephalalgiam indicant, nunc medietatem saltem occupantes, & tunc Hemicraniam; nunc connexæ & sese mutuò attingentes, & majorem affectionem significant, nunc separatæ, & minorem; quibus adde Colorem, nam si aureæ sint & citrinæ, dolor erit acrior; mitior, si albæ & pallidæ.

2. de Caus. Ur. c. 4.

pallidæ. Parvæ plerumque sunt & exiguæ & tunc materiam valdè lentam significant, quæ non multum extendi possit præ lentore, nisi illud etiam propterea fiat, quod quia longius veniunt, nonnihil extenuentur in transitu tam longo per venas. Quæ *in media Vrinæ facie consistunt, pacati doloris sunt indices*, cap. 16. inquit Fernelius, imo etiam materiæ concoctionem significant, maximè si prius in Corona apparuerint, nam *resoluto spiritu materia* loc. cit. *circa mediam Vrinæ superficiem decidit*, ait Actuarius. Quod si Urinâ commotâ adinstar granorum exiguorum deorsum pulsæ iterum ad Coronam ascendant, destillationes significant. Hoc malo Fernelij verbis, quam meis docere: *Bullæ*, inquit, loc. cit. *granis exiguis similes in Corona sitæ, si dum versatur & agitatur Vrina, deorsum versus depulsæ, mox in Coronam resiliunt, destillatio è capite*

vel in pulmones, vel in ventriculum, vel in scapulas vel in alias subjectas sedes procumbit, cujus vis & natura ex colore Vrinæ, Coronæ atq; bullarum intelligitur. Renum affectum à bullis significari Hippocrates traditum reliquit; *Quibus in Vrinis bullæ insident, morbum renalem & longum significant.* Ad quem Aphorismum Galenus nihil affert, quod animum veritatis avidum explere possit. Cardanus autem male existimat, hoc ipso tolli ea, quæ de bullis in Coronâ & mèdio jam diximus, quod Hippocrates illas ad renes referat. Nam bullæ de quibus modo egimus, exiguæ ferè sunt, quia è longinquo; at renum majusculæ. Tales autem sunt propter materiam valdè viscidam & crassam, ut quæ & multum extendi possit, & non consideat extensa. Unde etiam longum morbum Hippocrati significant; nisi Hippocratem

Aph. 34 S. 7.

cratem.

cratem de Spuma intelligendum esse, dicere velimus. Nam

Si ad materiam Bullarum accedat agitatio, SPUMA exoritur. Agitationem intellige, quæ fit in corpore, non extra corpus; nam etsi hæc quoque spumam excitet, tamen quia facilè dissolvitur, nisi spiritus flatuosus subsit, ideò hic non advertitur, nec significandi Vim habet. Eadem ergo materia in Spuma, quæ in bullis, sed Causa diversa: videl. agitatio vehemens. Agitatio hæc potissimum fit circa renum & vesicæ meatus, ut & parastatas, in quibus si obstructio sit, agitatio fit major, quia ex angusto; nam propter angustiam humidum, cujus cum spiritu circumplicatione bullæ ex doctrina Platonis oriuntur, magis frangitur; fractisque utrisq; & comminutis Spuma in Urina altior exultat, in qua bullæ sublimes aliæ alias quasi inequitant: quæ i- *In Tim.*

deò

deò crassos & viscosos humores & ex his obstructiones indicat, morbosque exinde diuturnos; idq; eò magis, quo diutius durat. Fernelius hæc ulterius extendit, & ventriculi distensionem imminentemque dolorem Colicum, aliasque à flatu passiones è spuma significari autumat, quod ea ratione locum habere potest, quatenus propter ventriculi imbecillitatem chylus in prima concoctione generatur flatuosior, ex quo flatus reliquarum partium calore attenuati spirituosam naturam induunt, qui in corpore vagantes si circa renum meatus, qui ob frigiditatem ijs etiam magis opportuni, coerceantur, serum in angustijs illis vasorum exagitant, spumamque excitant, non aliter quemadmodum in equis cursu fatigatis & iracundiâ permotis apris, exagitatione spuma circa os colligitur; id quod ego dicere malim, quam

quam quod Galenus de quibusdam adducit, *qui ab Vrinæ acrimonia reclusa arteriarum ad renes pertinentium ora spiritus aliquid emittere volunt, qui cum Vrinis illapsus bullas faciat*. O Philosophiam!

CAPUT XII.

Vrinæ tam in Liquore quam in Contentis V*ariatio à Causis Determinantibus*.

POSTQUAM jam eandem utriusque Urinæ Partis cùm Liquoris, tùm Contentorum naturam, earumq; Causas, tam secundum quam præter naturam, satis, ut opinor, distinctè explicavimus. Restat ut de ijs quoque nunc aliquid dicamus, quæ cum per se ad Urinæ generationem non concurrant, eam tamen diversimodè variare faciunt, prout Utriusq; Causas variè mutandi vel determinandi

vim

vim habent. Ea autem duplicis sunt generis: Alia quæ ad Urinæ generationem non pertinent, sed ei planè extrinsecus adveniunt, quam etiam, quia ut aliena respiciunt, vitiant, & Causæ *Mutantes* dici possunt. Alia, quæ etsi sine iis Urinæ generatio fieri non possit, quia naturalibus annexæ sunt, propriè tamen Urinam nec generant, nec corrumpunt, sed saltem Causas generantes vel corrumpentes ipsa determinant, quas ideo doctrinæ gratia Causas *Determinantes* appellabimus. Sunt autem Temperamentum, Ætas, Sexus, Vitæ genus, Anni tempus, Regio, quibus adde Partes corporis & Morbum. Harum ratione quomodo Urinæ evarient, nunc strictim videbimus. Strictim, inquam, qvia Sennertus pleraque ex his, ut ex ijs quas Causas Mutantes dicimus, satis luculenter proposuit; quare ea hic saltem

tem attingemus, quæ ab illo aliisve præterita sunt. Neque enim post Homerum Iliada scribere consilium est, sed bene ab alijs inventis aliquid addere id quod facilius, sed & utilius.

Primùm ergo ratione *Ætatis*, in Senibus est Urina alba, tenuis & diaphana; magis adhuc in Decrepitis, quoniam in his Calor siccus sanguinem propter acrimoniam adurit, crassioremque reddit & nigrum, serum vero tenue & album, ut in destillatis aquis. Contra Infantum, instar seri lactis alba, crassiuscula & opaca, quia in his calor jecoris blandus mollitie sua cibum æqualiter fundit fovetq; non autem tenues prius exprimit, ut acrior, unde non attenuat sed incrassat, opacam autem reddit, quia minus sequestrat. Puerorum Crassa adhuc & alba quanquam minus opaca, quia natura jam non tantum alimenti

alimenti ſed & excrementi coctioni incumbere incipit, in quo plura ſequeſtrat. Juvenum vero Aurei coloris aut Citrini ſaltem, non tenuis ut ſenum, nec opaca ut puerorum, ſed mediocris conſiſtentiæ, quia Calor in his robore auctior magis eſt διακριτικός unde conſiſtentia purior, hetorogeneis ſeparatis, & idem quæ ſeparat magis exaltat atque ad extremitates perducit, unde urina coloratior.

Ita ratione *Temperamenti* in Sanguineis Urina Rubra & Craſſa. In Cholericis Rubra ſed Tenuis, quia in his calor acrior. In Phlegmaticis alba & opaca ſimilis puerorum. In Melancholicis alba clara ſimilis ſenum.

Quod ſi Urinæ ætatis ritum non ſervent. Tunc in Pueros urina Juvenis indicat Febrim, ſenis hecticam; nam ita Hippocrates: *Vrina in pueris aquoſa deterrima.* Contra in

2. *Prog.* 33.

Sene

Sene Urina pueri debilitatem caloris & catharros, urina juvenis, optimam temperiem, si temperamentum suffragetur, ut in Sanguineis; alias calorem auctum, &c. Ita etiam si non servent rationem temperamenti. Nam in Phlegmatico Urina Cholerici intemperiem, in Sanguineo Urina Melancholici extremam imbecillitatem &c.

Quantum ad *Sexum*, Urinæ mulierum habiliores & albæ ferè, ut in pueris & minus splendent, adeoq; ex albo quasi livescunt, & cum spuma rotunda, & motæ non turbantur; Virorum splendidiores & motæ turbantur subitò. Attamen in senibus crudior & lividior, qvam in fæminis; sed magis in fæmina sene. His adjunge hypostasin parvam, quæ etsi non advertentibus cum superiore contigua videatur, hypostasis tamen non est, sed ab illa, quamvis sit minutissima, distin-

cta & matricis propria. Cognoscitur ex urinæ commotione, quæ parvas quasdam bullulas inter illas duas hypostases parit, & hanc tanquam infallibile muliebris urinæ signum Rhenanus prodidit.

Vrocr. cap. 2.

Quæ Prægnantibus propria reputatur, Lucida est & pura cum nube pendente (albâ in modum bombacis optime carpti in hyeme, in æstate vero coloris sanguinei) & granulis ascendentibus & descendentibus, idqve usque ad sextum mensem. Post sextum mensem turbidiores fiunt, ut brodium pedum vituli. In fine etiam rubedo adest, eò qvod pars menstrui misceatur.

Cum Sexu ferè coincidit *Vitæ genus*, quod si exercitiis deditum, quale virorum plerumque, quia exercitatio calorem auget, urinæ redduntur coloratiores, & sedimentum diminuitur; sin otiosum quale fæminarum, urina fit decolor,

lor, & sedimentum copiosius.

Anni *Tempora* quod attinet, Vere & Autumno medio urinæ in omnibus moderatæ sunt ferè, Æstate coloratiores, tenuiores, cum paucis contentis, Contra in hyeme. Initio autem veris multæ & crudæ cum Contentis crassioribus, ob debilitatem caloris, qui sentinam humorum hyeme collectam nondum superare valet; & ita quoque initio hyemis ob humores crudos in autumno collectos, quos calor ob ἀντιπερίστασιν revocatus aggreditur.

Neque *Regio* Cælique status nihil ad Urinam conferunt. Ita Germanorum Urina Zvvingero crassior est & decoloratior: Et Cælum v.g. pluviosum urinam cæteris paribus copiosam & crassiorem producit.

Peculiari modo Urina determinatur à *Partibus* Certis, potissimum,

mum, Cerebro, Pulmone, Felle, E-pate, Splene & Renibus tanquam septem membris principalibus, & dissimilaribus: nec non à similaribus septem, ut Carne, Pinguedine, Ligamentis, Intestinis, Cartilagine, Cute & Sanguine, quemadmodum hæc ex doctrina Paracelsi aliorumque Chymiatrorum tradidit Rhenanus, qui cujusque harum propriam & quasi peculiarem Urinam constituit; videl. Albam cum spuma vitrea, Cerebri; Vineam cum Spuma, Pulmonis; Flavam vel albam viridem reflexionem habentem cum spuma, Fellis; Vineam sine spuma, Epatis; spadicem cum modica spuma, Splenis; Vineam quæ pulmonis lucidior est & cum pinguedine, Renum: Ita etiam reliquarum: Nam quæ Loturæ carnium similis, Carnis est; Pallida cum pinguedine in superficie, Pinguedinis; Alba pellucida cum spuma

Urocr. cap. 7.

ma & albo circulo, Ligamentorum; Aquæ diſtillatæ ſimilis cum modica ſpuma, Inteſtinorum; Livida cum magnis diu durantibus ampullis, Cartilaginum & Veſicæ; Livida ſine ſpuma, Cutis; Lateritia, Sanguinis: quibus quidem experientia ſuffragari deprehenditur. Nam ut hoc unum addam, poſt venæ ſectionem in abundantia ſanguinis aliquoties obſervavi urinam lateritiam ſ. cum contentis laterum pulveri ſimillimis excerni; naturâ à ventilatione ſanguinem cælante purganteq;.

Cum his ſi ſubſtantiæ rationem conjunxeris, iſtarum urinarum ſignificatio conſtabit. Nam quemadmodum idem alibi docet: Si Pulmonis, Epatis & Renum urina ſpiſſa eſt, eorundem ſanitatem arguit; ſi autem Lucida (Claram intelligit ex ſubſtantiæ tenuitate) haut bonum augurium eſt; at Diaphana

(tota

(tota ob tenuitatem pellucida, ut etiam paries per eam conſpici poſſit) ad mortem comitatur. Cerebri & Splenis urina ſpiſſa mediocris fortunæ cenſenda eſt; lucida bonæ; at mediocris optimæ, & quæ extra omne naturæ diſcrimen verſatur. Fellis urina ſi ſpiſſa ſit mortem, indicat; lucida morbum ſanabilem; diaphana vero bona eſt. Cartilaginis, Inteſtinorum, Ligamentorum & Cutis Urina ſpiſſa bona; lucida periculo expoſita; diaphana in Criſi mortem. Carnis; Pinguedinis, & Sangvinis urina ſpiſſa ad morbum Chronicum tendit; lucida fortunam in utrumq; paratam oſtendit, ſive ad vitam ſive ad mortem; diaphana autem incurabilem valetudinem arguit.

Denique & *Morborum* certæ & quaſi propriæ ſunt urinæ. Ita Febrium propria eſt maximè malignarum, Urina Confuſa videl. quæ tota

tota sui similis nec quicquam deponit; hæc enim sanguinis & humorum qvi sunt in venis majoribus corruptionem & putredinem significat, quæ omnia permiscet, confundit atque perturbat. Sic etiam Urina alia est Phreneticorum, Lethargicorum; Asthmaticorum, Pleuriticorum, Syncopicorum, Crudorum, Hydropicorum &c. quas omnes tandem oculorum consuetudine internoscere discit Medicus.

CAPUT XIII.

Vrinæ alteratio à Causis Mutantibus.

URINAM mutant, tam in morbo quam citra morbum: Somnus & Vigilia, Exercitatio & Quies, Ingluvies & Inedia, Venus, Balneum, Medicamentum, Alimen-

tum, & Animi Perturbationes; quatenus hæc propriam Urinæ signaturam, quam ratione sanitatis vel morbi adipiscitur, intervertunt.

Somnus productior, nisi ob suavem ἀναθυμίασιν contingat, Urinam reddit crassiorem & crudiorem; quia calor non ventilatus in marcorem conjicitur. In calidioribus vero naturis etiam coloratam admodum, propter diuturniorem retentionem & affluxum bilis. *Vigiliæ* verò propter Spirituum resolutionem, minus quidem splendidam reddunt, rubicundiorem tamen ob calorem auctum.

Exercitium, sicuti cum moderatum est, Urinam producit splendidam & hypostasi laudabili propter spirituum augmentum & coctionis probitatem: Ita si immoderatum sit, propter resolutionem spirituum Urina redditur crassior propter materiæ agitationem au-

ten

tem turbulentior. Eadem est ratio in *Venere*. In *Balneis* verò eadem quæ in Vigilijs, propter caloris interni dissolutionem & impressionem externi. *Otij* denique eadem, quæ in Somno.

Ingluvies quia calorem opprimit copia & retentricem debilitat, ut alimentum tamdiu retineri non possit, donec idoneè coquatur, Urinas profundit crudas, tenues & aqueas, maximè in potu copioso eoque tenui, quale est vinum oligophorum. Ita Matronæ delicatiores apud nos in frequenti usu habent Cerevisiam albam Vino nuptam, quæ quia præpropere perlabitur ac præterfluit (tum ob tenuitatem partium, tum ob stimulum à vino) urinam reddit copiosam & crudam & quæ, Fernelij verbis utar, *nec partium affectiones nec qualitates expressas referre possit*: quod ideo moneo, quia ejusmodi tunc *d. Vrin. cap. 9.*

Urina non raro ad Divinatores Medicos adfertur, sed & *merces*, placet hoc ejusdem alibi verbis exprimere, *consiliiq; fructus* Consultoribus dignus refertur; quæris ex
cap. 18. me quis? Mundus vult decipi. Ab *Inedia* initio calor accenditur, & alimenti defectu humores deprædatur, unde Urina pauca & ardens in calidioribus præsertim; nam in frigidioribus sæpe humores crudos attenuans Urinam crassam producit: quod si nimia tandem sit, calore contabescente Urinæ tenues & ad lividitatem concedentes oriuntur.

Ex *Medicamentis* alia Urinæ copiam insigniter augent, ut Diuretica dicta, quæ humores attenuandi, serumque à sanguine segregandi ac fundendi vim habent: Alia eam alieno colore inficiunt, ut Rhabarbarum, crocus flavo; senna, cassia subnigro: Alia denique peregrino

odor-

odore perfundunt, ut Therebintina, quæ violæ odorem Urinæ tribuit; Carduus qui humores commovendo fœtorem in ea suscitat; idem de aniso existima, & de allio ex cibis, quod tria hæc facere Aristotel. scriptum reliquit: ut urina augeatur & spiritus excitetur, isq; deorsum non sursum. Cum igitur excrementum allii omnium maximè ad vesicam, quæ etiam ob situm & connexionem cũ testiculis spiritui opportunior est, una cum spiritu perveniat, odorem gravem magis spargit, cum cætera vel sursum spiritum & ructus movere soleant, vel urinam non excitent. Ex his de reliquis fiat judicium. Nam & rutam & cæpas idem præstare author est Galenus, idque propter acrimoniam qua coctionem turbant, coctio enim fit à calore miti &c. *Prob. 13. S. 2.* *l. d. atten. vict. cap. 1.*

Ita ex *Cibis* aliquando urina alte-

ratur etiam in colore. Nam à pulticulæ ſiligineæ aut lactis uſu Urinas ſæpe albas profundi, ut & à pulticula leporina nigras; obſervatio docuit.

Animi *Perturbationes* quod attinet, quia aliæ ſpiritus reſolvunt & corpus refrigerant, ut Triſtitia, Amor, ſtudia, Urina ab his redditur decoloratior & minus ſplendida; aliæ verò ſpiritus excitant & calorem augent, ut Ira, gaudium, ſpes, ſimilesq; quæ conſentaneam etiam Urinæ ſignaturam imprimunt, idq; ſi & graviores & diuturniores fuerint.

CAPUT XIV.

Urinæ Examen Mechanicum, beneficio Ignis Spagyrici.

HACTENUS Urinam ejusq; partes quatenus citra ignis examen

examen humanis sensibus sese offerunt, ad Rationis & experientiæ Cynosuram examinavimus. Quare illud nunc superest, id quod etiam initio declarandum suscepimus, ut ejusdem examen adhibito ignis præsidio & adjumento instituamus; quo partim ea, quæ supra ex rationis dictamine attulimus, confirmentur, partim via & aditus ad judicium ex Urinis Spagyricè quoque instituendum, aperiatur.

Urina autem operationi Spagyricæ subjicitur duplici fine: Vel ut partium quæ in Urina continentur, dissimilaritas resolutione magis patescat, & ex tenebris quasi in apricum producatur, unde de cujusque natura & facilior & certior fieri possit conjectura: Vel ut, quas in illam natura dotes recondidit, ignis artificio reclusæ & eductæ atque in meliorem statum exaltatæ, usum in Medicina idoneum præstare pos-

 sunt.

ſint.Prior conſideratio propriè eſt hujus loci. Urinæque reſolutionem in ſua principia ſ. partes ex quibus conſtituitur, concernit.

Partes haſce Thurnheiſerus in triplicem ſubſtantiam dividit: Vaporoſam, Aquoſam & Terream. VAPOROSA eſt, quæ cum igne lentiſſimo primi gradus, clauſo alembici roſtro attollitur in forma Sudoris, Exhalationis & Salis; Sal intellige volatile, quod in prima ſtatim reſolutione cum reliquis exhalat & in altum ſuſtollitur, quemadmodum & Sal C. C. volatile una cum ſpiritu aſcendit & capitello alembici adhæret. An hic ille eſt Sal, qui dum in Corpore exiſtit, ad circumferentiam inclinat, adeoque vel interno calore excitatus, vel evocatus externo una cum ſudor exit, qui propterea etiam ſalſedinis eſt particeps Galeni teſtimonio.

AQUOSA est, quæ ex alembico in Recipiens destillat, eaque est trium generum. Prima est *Alba superfluitas*, levissima, & quæ primo ascendit tanquam aqua capi, quia nihil salis continet. An hæc est primæ concoctionis serum? Imò an hæc est Urina Theophrasti Externa sive Tartari, quæ illi ex cibo & potu generatur?

Altera est *Citrina subtilitas*, tanquam essentialis Urinæ virtus & humor radicalis. Nam quemadmodum non ex vino tantùm, sed & vini fæce spiritus elicitur, isque crassioris consistentiæ: Ita præter vaporosam Urinæ exhalationem tanquam spiritualem, alia corpulentior prolicitur eaque acrior & violentior. An hæc est secundæ concoctionis substantia? An Theophrasti urina cruoris s. Alcali, quæ in sano (ut vult) nonnisi post quatriduanum jejunium, in ægro post

unius diei jejunium colligitur? Illud observatione dignum est, quod hæc Citrina substantia si cohobetur, id est, denuò destilletur, primò emittit spiritum salsum, post succedit aqua capi; qui spiritus propterea æmulari videtur naturam spiritus vini, sicuti prior aceti. Nam in aceti destillatione, primum emittitur phlegma, post phlegma demum spiritus acris: Ita etiam in prima urinæ destillatione co[illegible]
primum destillat insi[illegible]
ma, post liquor ac[illegible]
one Vini vero p[illegible]
phlegma aute[illegible]
modo in s[illegible]
jam ante[illegible]
[illegible]ritus c[illegible]

[illegible]
[illegible]spiritus
vola-

volatilior est quam phlegma, maximè si aliqua Urinæ fermentatio præcesserit, qua substantia ex fixâ mage volatilis redditur, unde etiam hic spiritus φλογιςὸς existit, flammamque instar Spiritus vini concipit.

Hæc Spiritus Vini cum Spiritu urinæ affinitas Johanni Baptistæ ab Helmont Nobili, ut præ se fert, Chymico persuasit dicam, an imposui[illegible] Spiritum vini in Urina co[illegible]deret, atque quemadm[illegible]ritu vini spiritui uri[illegible]ment[illegible]ulum al[illegible]fæ i[illegible]erientia [illegible]tun[illegible] in cor[illegible]rsu[illegible]generari, [illegible]on a[illegible]lculi ge[illegible]n, a[illegible]olis, quas [illegible]nt[illegible]llat, per[illegible]on[illegible]um Vir ille [illegible]de[illegible]otuit, qvod [illegible]et[illegible]d Posteros [illegible]s inve-

d. Lith. c. 3. & 4.

inveniſſet & laborum & ingenuæ in philoſophando libertatis, nunc omnium in ſe calamos experturus, neque immeritò; nam ſicuti intolerabili inſolentia Venerandam Antiquitatem inſectatus eſt, ita non minori audaciâ, ſua, ſomnijs ſæpe ſimiliora, tanquam ex Apollinis tripode profecta Seculo propinat. Sed rem ipſam examinemus. Conſtat autem, opinor, cuivis, per hanc Helmontii opinionem calculo eos ſaltem fore obnoxios, qui vino utuntur, eosq; calculo carere nunquam poſſe, qui eo ſeſe liberalius ingurgitant: At contrarium non minus verum eſt, cum & abſtemios ex calculo laborare contingat, & ſtrenui potatores ſæpe immunes ſint. Quomodo autem Spiritum vini in Urina Helmontius primus agnovit & ſolus, quem tota Chymicorum cohors hactenus pervidere non potuit? Sed nihil

illi

illi derogemus, & credamus ei tanquam Artifici: quomodo verò hi duo spiritus qui in Urina coexistunt & communi fruuntur contubernio, quomodo inquam, in se mutuo armabuntur, ut coagulum efficiant medijs in undis, quarum pars ipsi sunt? Nam quod coagulum efficiant, quando separati sunt & liberati à phlegmate, & in nobiliorem utrinque essentiam exaltati ac rectificati, ut loquuntur, id minus mirum est, quia in ita exaltatis activitas utrinque viget, qua destituti sunt, quamdiu phlegmate implicantur atque adhuc sunt in suis causis. Verum ut hoc ipsi largiamur, spiritus hos in Urina coagulare posse, quomodo ergo non semper calculus generabitur, cum hi spiritus semper in Urina cohabitent? Nam quod à scoriâ sive stercore liquido, cujus etiam supra mentionem fecimus, hanc coagulatio-

lationem impediri statuit, id frivolum est, cum hæc ipsius scoria non minus fictitia sit, quam spiritus vini in Urina. Sed demus ipsi omnia, spiritum vini qui in Urina existit & à spiritu Urinæ coagulatur; Spiritum Urinæ coagulatorem & scoriam impedientem hanc coagulationem, tunc certè infallibiliter sequetur in omni obstructione, in quâ scoria illa ad renes & vesicam pervenire nequit, sequuturam calculi generationem, nihilq; obstare, quin in momento (nam idem hanc coagulationem à spiritibus momento fieri asserit) quotquot in Urina utrinque sunt spiritus coagulent, adeoque calculum etiam ingentem in instanti producant. Quæ omnia quam sint à sana ratione, imo communi sensu aliena, quis non videt? Nam multas dari easque pertinacissimas obstructiones, in quibus nihil ex mesenterio

(in

in quo ejus scoria stabulatur) ad Urinæ meatus, vesicam præsertim perveniat, observationes docent, quibus tamen qui detenti fuêre ex calculo non perierint, imo in quibus calculi ne suspitio quidem locum habuit. Et sane si in tali casu Urinæ spiritus nihil impeditus coagularet spiritum vini calculumq; efficeret, plures in homine lapides generarentur, quam ut vesica contineri possint, metuendumque, ne brevi tempore æger totus ex homine fieret lapis, quales tunc Helmontio curandos optarim, præstaret enim redivivus Deucalion miracula, ex lapide homines producens. Ignoscet lector innocenti joco. Sed nunc redeamus; unde dilapsi sumus.

Tertium ergo, quod in recipiens destillat, est *Salsa*, sulphurea & fæculenta residentia, quæ ex se fortiori calore emittit vapores, sudo-

res & sales. An hæc est tertiæ concoctionis resolutio in membris?

TERREA denique substantia est, quæ ex destillatione remanens calcinatur, & hæc intra vas destillatorium conclusa colores miserabiles edit: extra vas autem exemta exuritur & suo se odore & colore & strepitu variam prodit. Ex hac, si aqua diluatur, fit Lixivium, cujus considerandus Liquor & Fœces: Liquor postquam à fœcibus per inclinationem separatus est, abstracto phlegmate sal penitus terreum deponit. An hi sunt cineres coctura sanguinis & serosi illius ac salsi excrementi venarum caput mortuum? Fæces, à quibus lixivium defusum fuerit, cum sint ultimæ reliquiæ Urinæ & quasi terra damnata; an hæ erunt terreæ ejus substantiæ portio, quam serum secum ex solido corpore abradit abripitque?

Hujusmodi est simplex Urinæ Analysis beneficio ignis Spagyrici administrata: Cui additamenti loco subnectere placet Separationem quatuor elementorum ex Urina, quam Libavius tradit eamque sequenti modo descripsit:

Destilla Urinam totam: fæces altere, affunde aquam ad tres digitos, & macera: destilla iterum: potes hoc & quarto repetere, & exibunt duo elementa, aqua scil. & Aer: separa in B. caput mortuum, irriga phlegmate, & pone in cella, donec crystalli gignantur: Exime eos, reliquum destilla, quod restat in fundo, iterum irriga phlegmate, ut lapilli emergant, idque donec nulli amplius existant: Hos lapillos ablue per aquositatem: pulverisa & destilla, extraheque ordine partem aqueam & igneam, terra in imo manet: aqueam materiam conjunge prioribus aqueis & aëreis. Verum

l. 2. Alchym. d. magister p. 109.

ſint. Prior conſideratio propriè eſt hujus loci. Urinæque reſolutionem in ſua principia ſ. partes ex quibus conſtituitur, concernit.

Partes haſce Thurnheiſerus in triplicem ſubſtantiam dividit: Vaporoſam, Aquoſam & Terream. VAPOROSA eſt, quæ cum igne lentiſſimo primi gradus, clauſo alembici roſtro attollitur in forma Sudoris, Exhalationis & Salis; Sal intellige volatile, quod in prima ſtatim reſolutione cum reliquis exhalat & in altum ſuſtollitur, quemadmodum & Sal C. C. volatile una cum ſpiritu aſcendit & capitello alembici adhæret. An hic ille eſt Sal, qui dum in Corpore exiſtit, ad circumferentiam inclinat, adeoque vel interno calore excitatus, vel evocatus externo una cum ſudor exit, qui propterea etiam ſalſedinis eſt particeps Galeni teſtimonio.

Aquoſa

AQUOSA eſt, quæ ex alembico in Recipiens deſtillat, eaque eſt trium generum. Prima eſt *Alba ſuperfluitas*, leviſſima, & quæ primo aſcendit tanquam aqua capi, quia nihil ſalis continet. An hæc eſt primæ concoctionis ſerum? Imò an hæc eſt Urina Theophraſti Externa ſive Tartari, quæ illi ex cibo & potu generatur?

Altera eſt *Citrina ſubtilitas*, tanquam eſſentialis Urinæ virtus & humor radicalis. Nam quemadmodum non ex vino tantùm, ſed & vini fæce ſpiritus elicitur, isque craſſioris conſiſtentiæ: Ita præter vaporoſam Urinæ exhalationem tanquam ſpiritualem, alia corpulentior prolicitur eaque acrior & violentior. An hæc eſt ſecundæ concoctionis ſubſtantia? An Theophraſti urina cruoris ſ. Alcali, qvæ in ſano (ut vult) nonniſi poſt quatriduanum jejunium, in ægro poſt

unius diei jejunium colligitur? Illud observatione dignum est, quod hæc Citrina substantia si cohobetur, id est, denuò destilletur, primò emittit spiritum salsum, post succedit aqua capi; qui spiritus propterea æmulari videtur naturam spiritus vini, sicuti prior aceti. Nam in aceti destillatione, primum emittitur phlegma, post phlegma demum spiritus acris: Ita etiam in prima urinæ destillatione communi, primum destillat insipidum phlegma, post liquor acris. In destillatione Vini vero primo spiritus exit, phlegma autem sequitur: Eodem modo in secunda liquoris hujus jam ante abstracti destillatione, prius exit spiritus salsus & vehemens, post liquor dulcis: quod ideò fieri existimandum est, quod sicuti ibi phlegma est levius quam spiritus, qui in prima destillatione adhuc fixatior est; ita hîc spiritus

vola-

volatilior est quam phlegma, maximè si aliqua Urinæ fermentatio præcesserit, qua substantia ex fixâ mage volatilis redditur, unde etiam hic spiritus φλογιστὸς existit, flammamque instar Spiritus vini concipit.

Hæc Spiritus Vini cum Spiritu urinæ affinitas Johanni Baptistæ ab Helmont Nobili, ut præ se fert, Chymico persuasit dicam, an imposuit, ut Spiritum vini in Urina contineri crederet, atque quemadmodum ex spiritu vini spiritui urinæ affuso momento coagulum album fieri offæ instar experientia docet, ita horum spirituum in corpore concursu calculum generari, hancque non aliam esse calculi generationem, altâ voce Scholis, quas ita per contemtum appellat, persuadere conaretur. Verum Vir ille suo se pede metiri non potuit, qvod si fecisset laudem apud Posteros

d. Lith. c.3. & 4.

invenisset & laborum & ingenuæ inphilosophando libertatis, nunc omnium in se calamos experturus, neque immeritò; nam sicuti intollerabili insolentia Venerandam Antiquitatem insectatus est, ita non minori audaciâ, sua, somnijs sæpe similiora, tanquam ex Apollinis tripode profecta Seculo propinat. Sed rem ipsam examinemus. Constat autem, opinor, cuivis, per hanc Helmontii opinionem calculo eos saltem fore obnoxios, qui vino utuntur, eosq; calculo carere nunquam posse, qui eo sese liberalius ingurgitant: At contrarium non minus verum est, cum & abstemios ex calculo laborare contingat, & strenui potatores sæpe immunes sint. Quomodo autem Spiritum vini in Urina Helmontius primus agnovit & solus, quem tota Chymicorum cohors hactenus pervidere non potuit? Sed nihil

illi derogemus, & credamus ei tanquam Artifici: quomodo verò hi duo ſpiritus qui in Urina coexiſtunt & communi fruuntur contubernio, quomodo inquam, in ſe mutuo armabuntur, ut coagulum efficiant mediis in undis, quarum pars ipſi ſunt? Nam quod coagulum efficiant, quando ſeparati ſunt & liberati à phlegmate, & in nobiliorem utrinque eſſentiam exaltati ac rectificati, ut loquuntur, id minus mirum eſt, quia in ita exaltatis activitas utrinque viget, qua deſtituti ſunt, quamdiu phlegmate implicantur atque adhuc ſunt in ſuis cauſis. Verum ut hoc ipſi largiamur, ſpiritus hos in Urina coagulare poſſe, quomodo ergo non ſemper calculus generabitur, cum hi ſpiritus ſemper in Urina cohabitent? Nam quod à ſcoriâ ſive ſtercore liquido; cujus etiam ſupra mentionem fecimus, hanc coagulatio-

lationem impediri statuit, id frivolum est, cum hæc ipsius scoria non minus fictitia sit, quam spiritus vini in Urina. Sed demus ipsi omnia, spiritum vini qui in Urina existit & à spiritu Urinæ coagulatur; Spiritum Urinæ coagulatorem & scoriam impedientem hanc coagulationem, tunc certè infallibiliter sequetur in omni obstructione, in quâ scoria illa ad renes & vesicam pervenire nequit, sequuturam calculi generationem, nihilq; obstare, quin in momento (nam idem hanc coagulationem à spiritibus momento fieri asserit) quotquot in Urina utrinque sunt spiritus coagulent, adeoque calculum etiam ingentem in instanti producant. Quæ omnia quam sint à sana ratione, imo communi sensu aliena, quis non videt? Nam multas dari easque pertinacissimas obstructiones, in quibus nihil ex mesenterio

(in

in quo ejus ſcoria ſtabulatur) ad Urinæ meatus, veſicam præſertim perveniat, obſervationes docent, quibus tamen qui detenti fuêre ex calculo non perierint, imo in quibus calculi ne ſuſpitio quidem locum habuit. Et ſane ſi in tali caſu Urinæ ſpiritus nihil impeditus coagularet ſpiritum vini calculumq; efficeret, plures in homine lapides generarentur, quam ut veſica contineri poſſint, metuendumque, ne brevi tempore æger totus ex homine fieret lapis, quales tunc Helmontio curandos optarim, præſtaret enim redivivus Deucalion miracula, ex lapide homines producens. Ignoſcet lector innocenti joco. Sed nunc redeamus; unde dilapſi ſumus.

Tertium ergo, quod in recipiens deſtillat, eſt *Salſa*, ſulphurea & fæculenta reſidentia, quæ ex ſe fortiori calore emittit vapores, ſudo-

res & sales. An hæc est tertiæ concoctionis resolutio in membris?

TERREA denique substantia est, quæ ex destillatione remanens calcinatur, & hæc intra vas destillatorium conclusa colores miserabiles edit: extra vas autem exemta exuritur & suo se odore & colore & strepitu variam prodit. Ex hac, si aqua diluatur, fit Lixivium, cujus considerandus Liquor & Fœces: Liquor postquam à fœcibus per inclinationem separatus est, abstracto phlegmate sal penitus terreum deponit. An hi sunt cineres cocturæ sanguinis & serosi illius ac salsi excrementi venarum caput mortuum? Fæces, à quibus lixivium defusum fuerit, cum sint ultimæ reliquiæ Urinæ & quasi terra damnata; an hæ erunt terreæ ejus substantiæ portio, quam serum secum ex solido corpore abradit abripitque?

Hu-

Hujusmodi est simplex Urinæ Analysis beneficio ignis Spagyrici administrata: Cui additamenti loco subnectere placet Separationem quatuor elementorum ex Urina, quam Libavius tradit eamque sequenti modo descripsit:

Destilla Urinam totam: fæces altere, affunde aquam ad tres digitos, & macera: destilla iterum: potes hoc & quarto repetere, & exibunt duo elementa, aqua scil. & Aer: separa in B. caput mortuum, irriga phlegmate, & pone in cella, donec crystalli gignantur: Exime eos, reliquum destilla, quod restat in fundo, iterum irriga phlegmate, ut lapilli emergant, idque donec nulli amplius existant: Hos lapillos ablue per aquositatem: pulverisa & destilla, extraheque ordine partem aqueam & igneam, terra in imo manet: aqueam materiam conjunge prioribus aqueis & aëreis. Verum

l. 2. Alchym. d. magister p. 109.

rum hæc ut operiosior est, ita usum exiguum de se promittit ad eum, quem hic extendimus scopum.

Atque hæc Analysis sine prævia fermentatione peragitur, quia in hac nuda partium resolutio spectatur: A qua diversa est illa, quæ non nisi fermentatione præviâ administratur; utpote quæ partium Urinæ exaltationem & medicamentorum ex eâ præparationem respicit. De quâ etsi propriè Pharmaceutica tractet, tamen propter materiæ cognationem & ut exinde quoque aliqua præcedentibus lux affulgeat, de eâ etiam aliquid nobis dicendum est.

In hac Analysi Urina distinctè spectatur ratione tùm Liquoris tùm Sedimenti, quod Chymici Lutum appellant. Ex Liquore triplex arte Chymica elicitur substantia: Spiritus, Sal & Essentia, quorum descriptionē ex probatissimis Authori-

thoribus hic breviter adducemus.

SPIRITUS *simplicis* præparationem optimè instituit Conradus Künrad, idq; in hunc modum:

℞. Urinam hominis sani quant. plac., collige eam in vase aliquo, stet per mensem vel etiam amplius, ut sic subsideat, & purum ab impuro separetur: tunc inde eam in vas vitreum capacissimum, benè lutatum, alembico imposito, pelle Urinam lentò primum ignis gradu, mox fortiori, ut media quantitas ejus evocetur: Remanentiam remove, cum ob summũ fœtorem nullius sit usus: Destillatum vero cohoba, i.e. destillationem illam adhuc semel repete, ut prius, & remanentiam vicissim remove: Sic rectificatur Spiritus urinæ, qui instar Spiritus vini flammam concipit, &c. *P.1.medic.dest. p.105.*

Hunc aliter parat Zuingerus, ut videre est apud Libavium, eumque *Syntagm.xr-*

Spiri-

canor. p. 443. *Spiritum Orionium* appellat. Fit autem hoc modo:

Urinam puerilem in vase aperto sine per quatriduum per se fermentari: deinde lento igne abstrahe aquam fœtentem per alembicum in B. destillando. Cum acris liquor succedit, muta conceptaculum & hunc seorsim excipe: Rectifica eum denuò & primam aquam, quæ spiritualis est, serva, reliquijs quas ex mutato sapore cognosces, neglectis: Mitescere enim incipiunt guttæ acri spiritu subtracto: Spiritum in novam cucurbitam injectum destilla de novo & accipies Spiritum Orionium.

Hic Spiritus alio nomine *Balsamus Urinæ* venit Reusnero, cujus luculentam descriptionem ex eodem huc adducere placet:

in Wil. in fin. p. 313.

Acc. Urinam pueri sani, qui annum duodecimum agit, & si fieri potest, per aliquot menses vinum bibe-

biberit, Adulti enim hominis Urina multas ob causas, ut & Virginis minus convenit; hæc putrefiat in fimo magistrali, vel B. M. anno Philosophico: deinde destilletur in Athanare, igne mediocri (quod diligentissimè nota) in vase vitreo (nulla alia materia hîc apta) cum Alembico vitreo & Recipiente vitreo; probè firmatis juncturis sigillo Hermetico; in cineribus aut arena. Phlegma reponatur super fæces, quaterq; hoc modo repetatur destillatio. Ultima aqua colligatur in vitro benè obturato; non autem alio vase: nam propter summam penetrationem subit & terrea & lignea vasa. Color hujus aquæ erit albus & admodum fœtens. Propterea, ut concilietur gratior sapor, & svavior odor, sumpturi cinamomum & saccharum addūnt. Fæces autem illæ super quas refunditur aqua destillata, erunt nigerrimæ,

quæ

quæ si gradibus ignis auctis sublimentur, *Sal alkali* sublimabitur, instar nivis; adeoque acutum, ut Solem, Lunam & alia metalla solvat. Hæc priora illustrant non parum, Balsamum autem hunc non immerito Catholicum dici remedium existimat, ob insignes, quibus pollet, virtutes de quò eundem vide loc. citat. & Clariss. Dn. D. Beckerum Microcosm. Medic. lib. 1. c. 9.

SAL ex Urina duplex elicitur Volatile & Fixum. Sal *volatile* in destillatione Spiritus, simul ascendit cum spiritu de quo etiam supra. *Fixum* autem paratur hoc modo:

R. Urinam pueri q. s. & supra ignem tamdiu fac ebullire donec incrassetur, & materia quædam nigra remaneat. Hanc in igne instrumento idoneo probè calcina per aliquot horas: solve calcinatum in aqua communi & præpara instar alterius salis communis, qui & solu-

tione & coagulatione ulterius elaborari potest ut albedinem contrahat; quæ descriptio est apud D. Beckerum loco cit.

Ex hoc deinde Sale nobilissimum illud medicamentum *Mercurius Microcosmicus* præparatur, cujus descriptio invenitur apud Poppium; atq; sic habet: *Thes. Med. l. 2. p. 231.*

Collige primum Urinam pueri impubis q. s.; putrefiat per aliquod tempus, inde destilla Spiritum, quem probè serva, ne quid exhalet: materia residua exsiccetur & reverberetur, ut omnis fætor secedat: extrahe inde lege artis Salem. Hujus accipe lib. sem. argill. lib. 5. misce invicem, & formentur globuli, qui exsiccati destillentur per Retortam igne aperto; sic habebis *Spiritum Salis Microcosmici*, quem inde vitro longioris colli, & accipe spiritum antea servatum & sensim instilla, sic exorietur ebullitio & stridor:

ſtridor: Sedato illo motu adde alembicum & primum inde phlegma deſtillando elice, donec materia exſiccata appareat: poſtea muta alembicum & probè munito vaſe per arenam deſtilla ſecundum gradus ignis, poſtea urge, ſic ſublimabitur materia inſtar ſalis armoniaci, quem ſerva. Hic eſt ſummum arcanum in Pulmonum affectibus, &c.

Myrothec. Spagyr. l. 1.*c.*12.

Quinta Urinæ ESSENTIA, quâ miracula in Medicina præſtari Poppius authòr eſt, elegantiſſimè delineatur à Fabro, idq; ſequenti ratione:

R. Urinam hominis ſani, cujuscunque ſit ætatis, modo non decrepitæ, Sole & Jove in piſcibus exiſtentibus, & collige maxima in quantitate, ad libras circiter viginti: His adde ad celeriorem putrefactionem Spiritus Vini libras quinque, imponantur ſimul in vaſe vitreo

treo optimè clauſo ad putrefactionem in fimo calido per menſem, donec nigreſcat perquam optimè Urina, deinde deſtilla lentiſſimo igne, ut ſeparetur ſpiritus vini, quem cognoſces ſtrijs deſtillantibus in Capite alembici, cum ceſſant prædictæ ſtriæ, muta recipiens, & collige phlegma urinæ, donec fumi albi apparuerint in capitello alembici, & in ſalem albiſſimum congelati fuerint: Salem ſepara à capitello alembici & cuſtodi in vitreo vaſe optimè clauſo, fœces combure fortiſſimo igne & calcina tam diu & ſolve & congela & iterum calcina, ſolve & congela, donec ſal albiſſimus ſit & purus ab omni fæculento excremento; hunc ſalem priori conjunge: & adde his tertiam partem ponderis ſui Vini ſpiritus ab omni phlegmate vindicati & ſerva: poterit etiam loco ſpiritus

vini addi ſpiritûs terebinthinæ re-ctificati & ſervari.

Denique ex LUDO Urinæ Paracelſus præparat oleum, quod Patentivum appellat, modus eſt hic.

R. Ludi q. pl. ſicca & in Crucibulo ad albedinem calcina, deinde in Porphyritide tere, & in loco frigido pone, ſic abit in oleum quod magnarum eſt virium in Calculo. Ex hoc deinde idem aliud Acuativum parat, de quo vide Beck. loc. cit. p. 61.

Atque ita, poſtquam & hanc de Urinis tractationis partem pertexuimus, ANATOMIÆ NOSTRÆ GALENO SPAGYRICÆ colophonem imponimus.

Ca-

CAPUT XV.

Exercitatio ex Vrinis Triplex: Rationalis, Mechanica & Experimentalis; ARTEM PRONVNTIANDI ex Vrina breviter adumbrant. Et Operis Conclusio.

ANIMUS erat ARTEM PRONUNTIANDI hîc præcedentibus subnectere. Quanquam enim cognitis urinæ Caussis (quas supra pro virili investigavimus) ipsa etiam urinæ docimasia absoluta videri possit (*Nam qui cognitum habet*, inquit Sennertus, *ex qua causa quælibet urinarum differentia provenit, ille eadem operâ intelligit, quid quælibet urina significet*). *d. Vrin. cap. 12. in fin.* Tamen quia pro varia Causarum cum alijs atque alijs connexione, antecedentium respectu, virium ægri constitutione aliarumque circumstantiarum ratione &c. ipsa et-

iam Urinæ ſignificatio evariat; & præterea, ſi ex abſentis ac ignoti urina (qui mos hodiè ubique ferè locorum invaluit) de ægro pronuntiandum ſit, ratione aliqua opus eſt qua id artificiosè fiat. Methodum dari neceſſe eſt, quæ univerſam hanc ejus, qui circa urinas formatur, diſcurſus rationem complectatur, quam ideò Artem Pronuntiandi appellamus.

Verum quoniam præſens opuſculum jam præter opinionem in majorem, quam initio inſtitueramus, molem excrevit, & alia quoq; aliò vocant; hac tractationis parte nunc quidem ſuperſedendum eſt: ne tamen & hìc quicquam in nobis benevolus Lector deſideret, brevi commentatiunculâ eam repræſentare ſtudebimus, idque eò paucioribus, quo ejus non levia jam in præcedentibus fundamenta jacta ſunt.

Et quidem pro duplici Urinæ Analysi duplex etiam erit ex Urinis pronuntiandi ratio, Rationalis & Mechanica, cui deinde tertiam quoque Experimentalem videl., ut quæ solius experientiæ suffragio nititur, subjungemus.

RATIONALEM primùm quod attinet, in ea duo præcognoscenda sunt: videl. quid ante Urinæ inspectionem observandum, & quid circa ipsam Inspectionem. Ante inspectionem notandum, *Primò* quo tempore Urina excipi debeat, mane nimirum & quæ est à Somno prima: quia hæc humorum naturam ob ebullitionem à somno factam expressiùs refert: *deinde* quomodo, videl. tota, quia pars nulla dilucidè omnes notas exprimere potest: *tertiò* quo vase videl. claro & omnis coloris experte, eoque oblongo ne hypostasis dissipetur: *quartò* quomodo as-

ſervanda, videl. obturata & à ſole, frigore ac flatu procul ne turbetur aut craſſeſcat; ſine agitatione, ut hypoſtaſis quiete & ſenſim refrigeſcendo conſideat, idque ad horæ ſpatium, ut vult Avicenna, quo intervallo temporis Contenta propria loca occupare poſſunt, nunquam autem ultra ſex horas, juxta eundem, ne aliquam corruptionem nanciſcatur.

In Inſpectione videndum, *primò* ut fiat loco idoneo, videl. nec nimis obſcuro, nec nimium lucido aut Solis radijs expoſito, & ita ut lumen potius deſuper quam obliq; in matulam incidat, quod ut melius fiat & Urinæ liquor ac color rectius cognoſcantur, pannus niger vel aliud ſimile poſt vas poni poteſt, quo viſus acies firmius terminetur. Rhaſes manum matulæ ſupponit, ne lux tota in urinæ ſuperficiem deferatur. *Secundò* ut fiat in certa diſtantia;

ſtantia; nam urina humana quo propior eſt, eò ſpiſſior apparet, quo autem plus elongatur, eò clarior fit, qvod in aliorum animalium urinis non evenit: *Tertiò*, ut ſi vel frigore concrevit, vel alio modo turbata eſt, diſſolvatur, ſine agitatione tamen, ne hypoſtaſis disrumpatur; diſſolvitur autem igne lento, quanquam expeditior ratio eſt per aquam tepidam; Soluta iterum aliquandiu quieſcere debet, donec contenta omnia locum naturalem repetant.

Videamus nunc quomodo ex Inſpectione urinæ DIJUDICATIO inſtituenda ſit: Ad quod *Primum* & ante omnia requiritur, ut abſint Cauſæ mutantes, utpote quarum interventu propria Urinæ ſignificatio pervertitur. Ita nec in potu multo, tenui præſertim qualis eſt aqua & vinum album, nec in diureticorum uſu, nec poſt epotum

rhabarbarum, fenam, &c. quicquam ex Urina effatu dignum cognosci potest. In puerperis verò & menses patientibus, si urinæ judicium requiratur, exiguo artificio natura collumque matricis detergi potest, atque ita urina colligi impolluta & judicium ex ea integrum desumi, quod nota.

Deinde ante oculos semper sint Causæ determinantes, utpote per quas Urina quasi in certâ specie constituitur. Ita ratione sexûs, ætatis, temperamenti Urina suum proprium obtinet characterem, quem callere oportet, qui non velit in ipso limine, quod dicitur, impingere. Nam quæ Senibus est naturalis, exitialis est pueris, & quæ ineunte Vere salutaris existit, eadem Æstate provectâ noxia est & præter naturam. Et sic in alijs.

Tertiò eodem quasi oculi ictu Urina referatur ad Idæam urinæ optimæ

:imæ tanquam amussim & regu-
ı. Idæam autem non generalem
tum hic requirimus & commu-
n, qualem supra per partes de-
psimus, sed & specialem, & cui-
:t sexui, ætati, tempe[illegible]nto
priam, ut qualis nam in his sit
ima & naturalis, cognoscendo,
us collatione simul ea, quæ pro-
ita est, an naturalis sit, an præter
ıram, & si hoc, quantum à na-
ıli dissita sit; & quæ morborum
propria, an boni an mali moris,
noscatur; unde de mali vel ma-
:udine vel parvitate judicium

Quarto antequam Urinæ partes
latim considerentur, quia Uri-
ı sæpè in totum mutant, quæ ei
ıeatibus & urinæ vijs permis-
:ur, videndum an non ex reni-
vel vesica quid affluxerit, quod
quam ejus, quam in venis sorti-
t, signaturam obscuret oblite-

retve, ne cui forte de reliquis partibus judicaturo imponat. Talia autem ſunt Sanguis & pus & filamenta, quæ vel à renibus vel veſica vel paraſtatis urinæ miſcentur: A Renibus, [illegible] in Calculo, in quo Urina initio Craſſa, turbida & rubra à calculo ex ſubſtantiâ renum excuſſo in capacitatem; deinde Craſſa, turbidâ & vere Cruenta ob attritum renum à calculo jam grandiore: Vel in Ulcere, in quo initio Alba & craſſiuſcula (ſi tamen labor adſit & exercitatio vehemens, etiam coloratior) deinde Alba, craſſa, & fœtida & verè purulenta, cum ulcus jam ſordidum evaſit; deniq; Alba, craſſa fœtida cum ſedimento craſſo & viſcido inſtar mucinarium, cum ulcus jam ſupra modum ſordeſcens in fiſtulam abiit: Et hujuſmodi Alba videl. cum fœtido craſſamento etiam à Veſica oritur ſive in calculo ſive in Ulcere, diſtin-

distinctionem autem supra ostendimus. A Parastatis in gonorrhea Venerea, initio filamenta tenuia, deinde crassiora, ab his urina tota crassescit, postremo sedimentum, quale nunc diximus, mucosum inest. His adde squamas vesicæ proprias, & pilos ureterum & carunculas renum: quæ omnia hic breviter recapitulanda fuêre, ut animo atque cogitationi perpetuo obversantia mentem, quæ in tanta multitudine causarumque concursu fluctuat, ad certas partes magis determinent. Nam si horum nihil comparcat, omnis Urinæ significatio ad venas & viscera reliquumq; corpus retrò refertur. Quare tunc

Quinto omnes Urinæ partes (impropriè ita dictæ) cogitatione percurrendæ sunt, hæ quinq; præcipuè, Color, Substantia, Perspicuitas, Quantitas, & Contenta; Ex quibus Color caloris temperiem;

Subſtantia ſive chymoſis ejus robur. & coctionis probitatem: Perſpicuitas caloris vigorem, & ſupra humores dominium; Quantitas caloris copiam & nutritionis perfectionem; Et in ægris determinatè Color intemperiem, citerior frigidam, ulterior calidam. Subſtantiæ tenuitas obſtructionem; Craſſities humoris vitium, idque talis qualis color fuerit; & hæc ſi turbulenta ſit, caloris laborem; ſi confuſa, putredinem, atque adeò febrem: Perſpicuitas, ſi cum tenuitate conjuncta, cruditatem; ſi cum craſſitie & colore intenſo, ardorem, ut in febribus. Quantitas ſi excedens, ni in Criſi ſit (in qua ſemper urina multa, & craſſa) caloris in inferiore ventre exſuperantiam, renum præſertim nec non jecoris; ſi deficiens, imbecillitatem aut obſtructionem in meatibus, vel calorem auctum in partibus & habitu.

habitu. Contenta verò ratione Coloris, alba solidarum partium robur; rubra venosi generis obstructionem, propter quam alimentum non colatur; subrubra renum, quorum caro ruborem non ebibit (unde etiam arenæ rubræ in renibus obstructis) alterius coloris, humoris mistionem. Ratione substantiæ, tenuia lævia & æqualis coctionis triplicis probitatem; Contraria contrarium, & quidem si crassa, cum error concoctionis primæ non corrigatur in secundâ multò minus in tertiâ, concoctionis in ventriculo lapsum; si non crassa quidem sed crudior tamen, defectum ejus in jecore, quod materia mitigata & evicta non est; si etiam cruda non est, neque tamen secundum minima divulsa, ita ut mota in atomos dispergatur, defectum in venis & partibus singulis: Ratione loci, ad fundum depressa

naturæ

naturæ ſuper alimentum dominium, contraria contra: Ratione quantitatis Contenta copioſa nutritionem copioſam & exquiſitam. contraria contrarium. At abſentia Contenti omnimoda vel illud non generari, vel genitum non tranſire, vel tranſiens conſumi vel denique depravari. Non generatur in proſtrata ventriculi concoctrice, propter quam non ſeparatur tanquam utile, nec trahitur à jecore, ſed cum fœcibus tranſit; unde dolores circa ventriculum, & vomitus, aut impotentia retinendi in lævitate inteſtinorum, & urina alba aquea. Generatur, non tranſit, propter obſtructionem vel in jecore & punctiones adſunt in dextro hypochondrio, & corporis extenuatio reliquaque ſymptomata, urina vero coloris aurei; vel in Renibus, & corpus nutritur, urina autem liveſcit ab aduſtione. Tranſiens con-

ſumitur

ſumitur & diſſipatur, vel in partibus corporis, ut in naturis calidioribus, exercitatione, &c. & tunc Urina eſt boni coloris & conſiſtentiæ; vel in meatu renum à ſiccicitate & colore immodico, & tunc Urina caloris intenſi. Deniq; depravatur ſedimentum à calore i neo in tertia concoctione, ita ut nunc in farinaceam nunc in furfuraceam ſubſtantiam degeneret; farinaceum intell. non quod ex carne colliquata, ut ſupra, ſed ex ſanguine aduſto eſt Galeno; & ita quoq; furfuraceum, craſſius ſcil. & rudius, quam furfures ſupra diximus, qui ex ſolidis partibus reſecantur, & hoc furfures ex tritico malè molito cribratos repreſentat. Et hæc jam tranſeunt ad Contentorum ſortem, quæ Aliena diximus, de quorum ſignificatione, quia ſupra diſtinctè & plenè diximus, eo lectorem remittimus.

Hinc:

Hinc jam quoque perſpicuum eſt, qvomodo ex his ſimul collectis & inter ſe comparatis pronuntiatio formanda ſit, quod ut clarius fiat, uno atque altero exemplo rem declarabimus. Nam v. g. *Alba & Tenuis* intemperiem frigidam ſignificat, & cruditatem ingentem, & obſtructionem ex pituitoſis humoribus; aliqvando, ut in febribus, materiæ converſionem ad alia loca, cerebrum videl. quod influxioni paratum, bilis maximè, quæ reliquorum humorum velut explorator, & tunc ferè Contenta abſunt: *Alba & Craſſa* ſi turbulenta ſit (niſi Critica fuerit & multa) præter intemperiem frigidorum humorum commotionem morbosque exinde oriundos, etſi ferè ſine obſtructione: Eadem ſi *Confuſa* fuerit, febrem ex pituitoſis humoribus, videl. quotidianam vel lentam adeoq; cum obſtructione.

Alba

Alba vero, quæ *substantia* est *tenuis* cum *Contentis crassis*, morbos ex minera frigida & obstructionem eamq; non in renibus & meatibus, nam ita non præterlaberentur Contenta crassa, sed in jecore & venoso quoque genere ex parte. Eodem modo urina *Flava* si *Tenuis*, intemperiem calidam, & obstructionem ex adustis humoribus, eamque in jecore & mesenterio, & tunc est sine hypostasi, quia ex primæ concoctionis excremento nihil præterfluit, qvod materiam sedimento pra[illegible]ere possit, quanquam non sine Enæoremate, quia hoc ex tenuiore materia cogitur, & quæ præterfluere potuit; vel in Renibus, & tunc ferè sine Enæoremate, quanquam nebulam habere possit. Eadem si *Crassa* fuerit, bilis exuperantiam & exacerbationem & acutas affectiones: Quod si vero *Confusa* etiam, febrem ex biliosis humo-

humoribus videl. tertianam aut febrem ardentem, & harum symptomata. Sic de *Rubra*, quæ cum splendore sanguinis vitia, & quidem si tenuis & purior quam *Subrubram* diximus, sanguinis effervescentiam & hinc capitis pulsantem dolorem &c. si obscurior, jecoris vel renum debilitatem: Si autem Confusa, Synochum putridam ejusque symptomata &c. Eadem aliorum colorum ineunda est ratio & præsertim qui certis quasi morbis est proprius, ut vineus ictero, lividus melancholicis affectibus &c. quæ per se patent: de ijs autem omnibus fusè supra, ita ut eadem hic repetere, sit actum agere. His adde Contenti substantiam, & præcipue locum: deinde & morbi tempus, ac vires ægri & cum Docimasia etiam Prognosis constabit: Nam omnia mala signa eo sunt deteriora quo magis morbus processerit, bona

verò

vero etiam meliora, & quidem si ab initio cœperint & perseverarint, adhuc meliora. Utraque autem sive bona sive mala, quo fundo fuerint propiora, eo celeriorem exitum significant, sive ad bonum sive ad malum. Ita si nebula appareat circa statum, in morituris (hoc signorum syndrome ostendet) mortem; in sanandis, quia omnes sanantur in statu, statum tardum significat: Si vero Enæorema, in morituris mortem in incrementi fine vel medio; in sanandis acutum morbum & statum ob id non valdè tardum. Si Hypostasis, statum celerrimum in sanandis, in morituris mortem in principio morbi aut initio incrementi significat &c.

Intelligis, opinor, studiose Lector quantum ille sustineat instar, qui de morbis ex Urina pronuntiare velit, quo tamen hodie nihil vulgarius, etiam apud eos, qui hæc ne

primis

primis quidem labris attigère: Agnoscis etiam illud, sine fraude esse non posse, si quis his alijsve ignoratis, non tantum de morbi natura cognoscere ejusque eventu prædicere conetur, sed etiam ex absentis & ignoti urina instar vatis augurari velit, & rem scil. acu tangere, quam nusquam videt. Non diffiteor etiam hujus rei aliqua ab Arte esse præsidia, sed ea hactenus talia sunt, ut præter communia quædam & incerta & conjectandi dexteritatem & sermonis artificium verborumque circuitum quo mens vulgi improvida ludificatur, & expiscandi quandam calliditatem, tum enarrationem omnium, quæ ex urina tali noveris, qua fit ut cum multa dicas, tangas pauciora, quæ tunc tantum audiuntur, quia sola audiri volunt, & si unum tetigeris, jam fiet ut alterum elicias, ex quo novum sermonis contextum; denique notatio-

tationem eorum, quæ quasi magis conspicua, ut doloris, & divisionem corporis in quædam quasi majora, ut caput, latus, stomachum, ventrem, dorsum & artus, idque ad sensum vulgi, quo fit ut etiamsi non recta collinees, scopum tamen ferias, &c. ut præter hæc inquam & pauca alia vix quicquam artificij habeant. Attamen SI DEUS VOLUERIT, hanc quoque Partem & qvomodo etiam ex solius Urinæ inspectione, quando aliter vulgus non vult, quam minimo errore remedia prudenter præscribenda sint, quantum per Artem datur (ex ijs enim non sum, qui carbones pro auro venditant) proximè tradituri sumus, nunc ad hæc etiam viam non leviter stravisse contenti.

MECHANICAM ex Urinis pronuntiandi rationem primus repræsentavit Thurnheiserus, eamque aliquot luculentis exemplis

plis expressit in sua Procatalepsi sive Præoccupatione contra Vroscopos vulgares. Ex cujus & Paracelsi sententia Hier. Reusnerus universam rationem breviter ita complexus est.

in Wil. in fin. In Probatione Urinarum à Spagiricis inter Neotericos, tres morborum principes juxta tres corporis urinæ partes constituuntur. Nubes Mercurialem principem indicat, sive animalem, in Capite. Enæorema Sulphureum s. Spiritualem in media corporis parte. Hypostasis denique Salsum s. corporeum, qui inferiorem hominis aulam vel caulam sibi vendicat: Porro, ut principes hi morborum illorumq; extracta arcana & discrimina rectè dignoscantur; necesse est, ut accurata omnium elementorum fiat separatio; Alias laterem lavabimus. Accuratam autem, non superficiariam, aut confusam elementorum secre-

ſecretionem deſideramus: qua non tantum unum quodque peculiari vaſe conſervatur; verum etiam ſic ad unguem examinatur, ut in ſeparatione exactiſſimè cognoſcamus, quodnam elementum alterum non duntaxat quantitate & multitudine ſed etiam menſura & pondere excedat. Quo perfecto, prima fundamenta ſcientiæ fideliter jacta ſunt: qualitas enim perſonæ & genus principis morbi patet, num videl. ſit Mercurialis, num Sulphureus an verò Salſus.

A ſeparatione vapores aſcendentes certam cucurbitæ partem occupant, ſitu reſpondentem parti corporis humani, in qua fomes morbi reſidet: ſpeciemque & naturam affectus adeò dilucidè repræſentat, ut cui elementio & principi malum ſit adſcribendum, facile appareat.

Pondus autem urinæ totius ad pondus

pondus urinæ ſani hominis judicandum; quod eſt unciæ octo & drachmæ tres vel quatuor. Idcirco ſi hoc pondus excedat urina, maximam Tartari copiam indicat; ſi præſertim hoc magna copia poſt ſeparationem conſpiciatur. Unde præſagimus, phlegmaticos capitis catharros è ventriculo oriundos jam defluentes à nimia ſiccitate partium ſubjectarum in Tartarum coagulari, quo facto impeditur ἐισπνοὴ καὶ ἐκπνοὴ arteriæ tracheæ: αἱματοποίησις in jecinore retardatur: vitalis in corde ſpiritus labaſcit, graveſque morbos inde poſſe oriri periculum eſt, ut Hemiplexiam, Paralyſin, Spaſma, dolores matricis, diſpnæam, lithiaſin, ſcabiem, luem veneream, Scorbutum, ſ. Sal reſolutum ſimiliaq; tartarea mala. Morbi Mercuriales ac Sulphurei citius agunt ac vehementius urgent quam Tartarei. Cum enim in illis tenuio-

tenuiores & acriores inveniantur vapores, quam in Sale resoluto, plurimi elevantur flatus qui pro vario in Cucurbita vel capitello loco & pro varijs coloribus ac substantia varia, varias affligi partes denotant. Hinc Vertigo, sibilus aurium, Phrenitis παραφροσύνη ἰπέχυσις, Ophthalmia, Cephalalgia, Cardiaca, Lipothymia, Syncope.

Meliores sunt illi vapores, qui in alembico in aquam concrescunt, deteriores verò, qui inter separandum crassiores subinde evadunt, propter terrestrem idcircoque rebellem nimis materiam: unde maxima virium prostratio & gravia animi deliquia, si fumi imprimis impetu quodam versus sinistram cucurbitulæ partem ferantur. Si qui vero supremam Capitelli regionem occupant, alicujus corrosionis participes sunt: unde cerebri morbos acutos generant, memo-

riam turbant, intellectum debilitant, subitum calorem & æstum in toto corpore, maxime autem facie excitant, quem nos die fliegende Hitze nuncupamus; exanthemata item illa producunt, quæ nobis sunt, die Finnen/ vnd ein mahlzig Angesicht; deniq; non raro Apoplexiâ hominem è medio tollunt.

Si tales vapores in medio ferè Cucurbitæ versus sinistrum latus moveantur, omnis generis morbos in matrice indicant, & periculosissimos, si in gyrum circumvolvantur. Idem de similibus esto judicium.

Hæc ut luculenter satis proposita non omnibus tamen æquè probantur, & ijs quidem minimè, quibus carbones tanti non sunt, ut infuscare sustineant virgineas manus. Sed & cum ratione alij dissentire videntur, quorum quidem eo æquius judicium esse debebat, quod

quod ex eodem corte, quod dici- *Comm.*
tur. Nam ita Libavius: Frivola, in- *Alchym.*
quit, & inanis est urinæ destillatio *p.2.t.2.*
& judicium, quod judicio Paracel- *p.192.*
sistæ cujusdam inepti (Thurnheu-
serum intelligit) quidam in admi-
ratione habent: Quanquam enim
in corpore humano quodlibet
membrum suum habeat excre-
mentum, idque possit permisceri
Urinæ: nulla tamen est ratio, cur eò
recurrat, unde venit, nedum de-
scriptionibus in vase obediat, ibiq;
subsistat, ubi tu cor designasti &
reliqua. Si tantopere servat lotium
familiaritatem membri sui, cur ex-
pulsum est tanquam alienum? cur
natura sibi constituit emunctoria,
quibus segreget, quod est mole-
stum? &c.

Johannes vero Baptista ab Hel- *d. Lith.*
mont. illud inutile inventum ap- *cap.3.*
pellat, & nugaciter si non impiè in
Medicinam introductum: Vas, in-

quit, Thurnheiſerus ſtillatorium pro auſu ſuo in partes 24. diſtinguit & foris ſuis annotat lineis, corpusque humanum in totidem ſoleas dividit. Vult tandem vapores ab urina diſtillando elevatos debere ferire præcipuè regionem vitri, eaq; parte in guttas concreſcere, quâ in homine, cujus eſt urina, morbi negotium peragitur. Fingit item tot vaporum diverſitates ſurgere ex urina, quot morbi in univerſum eſſe poſſunt; ut inde nedum loca affecta, ſed & materiam morbificam ediſcamus opticè: etenim ſic ſuas uronoſcopias neqvitiæ ac vanitatis magices ſuſpectas, ut excuſat, per diſtillatoria hydromantica mundo imponere ſategit, id eſt in ludicris ſerius omnino eſſe voluit. Hæc hic Author acerbius, ut omnia, foris ſcil. lynceus domi talpa. Idem tamen alibi rationem Urinas explorandi per pondus amplectitur, cujus etiam modum & expe-

experimenta nonnulla tradit: qvem ideo ipsum hic loquentem introducemus:

Tuta est, inquit, methodus urinas examinandi per pondus. Uncia nimirum pendeat 600. grana. Vas autem vitreum habui, angusti colli pendens grana 1554. Repletum autem aqua pluvia pendente insuper grana 4670. Inventa est urina senis pendere eodem vase 4720. grana sive superare pondus aquæ pluviæ 50 granis. Urina autem mulieris sanæ, ætatis annorum pependit grana 4745. Urina juvenis sani annorum 19. pependit 4766. grana. Alterius autem juvenis paris, abstemij à potu pependit grana 4800. Juvenis 36. annorum tertianam tolerantis, cum tussi, pependit 4763. grana. Præfatus autem juvenis 19. annorum, cum tertiana duplici nocte præcedente parum biberat, pependit autem urina ejus 4848. grana, quod fuit 82. gra-

d. Hum. Gal. c. 3.

nis amplius quam cum ſanus eſſet. Virgo cordis palpitationem paſſa, minxit inſtar aquæ pluviæ, quæq; ideo æqui ponderabat aquæ pluviæ. Urina tepens ſemper ſeipsâ aliquot granis levior eſt, ut & extenſior. Sitque idcirco vas colli brevis & acuminati ut ferè in puncto urinam dimetiatur.

Verum etſi hoc Urinæ examen per pondus contemnendum non eſt, ita ſi ſolum ſit, exiguum ſane ad judicium ex urina confert. Neque etiam urinæ deſtillatio inutilis eſt plane, cum accidere poſſit, ut non utilis ſit tantum ſed & neceſſaria.
loc. cit. Nam ſi Libavio credimus: Ex ſola Urinæ crudæ inſpectione parum patet de morbis Cerebri, Pulmonum, veneno ſpirituali & ſimilibus, ſæpeq; patientibus membris aliis, ut oculo, auribus &c. coctionis inſtrumenta bene habent: Ita in febribus aliquando ſunt ſanæ, nec

non-

nonnunquam natura expellit caufas morbificas nullo facto morbo: & aliquando diverfitate coctionis diverfiffimæ prodeunt, ficut & exercitatione varia: Igitur mingitur interdum ruffa biliofa à fano: cruda alba item à fano poft meri vinive potum paulò indulgentiorem &c. Sola fi tunc eft, incerta eft. Crebram fi pofcas, & diverfis temporibus emiffam, metus eft, ne interim bona agendi occafio prætereat: Omnino itaque ejus conftitutio, cujus eft, unà eft fcienda fi velis ex eâ aliquid ad medendum & non duntaxat ad naturæ morem cognofcere. Si patent neceffaria ad benè agendum, nihil urget judicium Chymicum; Interdum tamen mifturæ, naturaque fuccorum in corpore exiftentium, ficut & discrafiæ tam latent, ut vix dignofci queant, qualesnam fint, quid potius abundet, quid magis affligat, hu-

morne peccet solus, an etiam intemperies sit, aut sola hæc affligat, quid obstructiones pariat &c. Itaque etiam hanc operationem instituere possumus. Modum autem quo hæc operatio perficitur, proponit à priore diversum, talem videlicet.

Lotium suo tempore exceptum primum ad quantitatem & pondus revocandum statim, cum adhuc naturaliter calet: postea per quietem sedimentum & refrigeratio procuranda, in quo tunc notanda erunt, quæ occurrent signa, & corpus totum iterum expendendum, ut constet, quidnam spirituum una fuerit, quanquam hoc soleat potius ex vasis intervallis, qvam statera deprehendi; si enim non tantus est urinæ locus, ut prius, secessus spirituum factus est multus paucus, pro differentia intervalli: ut autem scias qualis nam sit ille spiritus, matulæ statim

statim impone alembicum, & sic una opera utrumq; expedies: crassas partes postea, per chartam mundam cola, & quod hæsit, quale sit, iterum nota: facilè autem agnosces pinguia, sanguinem, arenas, phlegma, pus, furfures, farinaceas secretiones pilosasve & reliqua. Si tamen interius quoque nosse satagis, prout erit copia, ita igni examinabis vel ad Solem torrendo, destillando, sublimando, urendo, &c. quæ apparent, sensuum judicio circumspecto discernes: quod per chartam transijt, iterum sine quiescere, & per se judica secundum differentias sensiles: deinde Cucurbitæ infunde, & destilla usque ad medias & amplius; destillatũ per se æstima. Quod in vase remansit, item considera primum, postea sine refrigescere, & vide num quod sedimentum sit, aut pinguedo vel nebula vel Corona concreta in vase

veluti tophacea: talis enim fieri solet, si succi corpulenti insunt: attende etiam qualis sit & reliqua: hinc injice culmos vel bacillos, & detine loco tepido, ut sal accrescat: quo facto humorem residuum iterum cola & vide quidnam in vitro adhæreat: Solent enim plerumque vel arenulæ vel crystalli parvi consistere, nonnunqvam & lentor quidam: colatũ quod est, novo vitro coque ad spissum usque quod sines paulatim per se coagulari & postea varijs modis naturam ejus explorabis: Inde vix fieri potest, quin plura deprehendas longè accurratius, quam si inspicias tantum: Videbis hîc nos non raro decipi Tincturis spiritualibus & judicare biliosam quæ non est.

Hæc ratio etsi operosior videri possit, & revera est, tamen quia sæpe Medico tales morbi obveniunt, in quibus agendorum ratio non satis;

tis patet, ut sunt morbi ab humore Chronico aliiq; ejus generis, tum certe Medicus fidelis unius atque alterius horæ tædium devorare malit, quam sæpe frustra & sine successu tot in ægro curas & methodos periclitari, quibus non rarò ægri res tantum deteriores redduntur. Sed age, in gratiam eorum, qvi omnem laborem tanquam prolixum & gravem hîc facilè refugiunt, addamus adhuc aliam methodum, eamque faciliorem & magis expeditam & ut nonnullis videtur, etiam feliorem. Estq; hæc:

Vrinam hominis morbosi debito tempore collectam & cucurbita convenienti exceptam, destilla ex arena ad consistentiam instar mellis in fundo restitantem: ejus evaporatæ cape particulam quandam nucis avellanæ quantitatem æquantem, ac eandem super laminam cupream ignitam, modicè in

medio

medio depressam, in loco aliquo à ventis & alijs turbis libero, saltem lucido pone, diligentissimè observaturus, tum colores flammæ ardentis, tum flammam, tum residuas in lamina fæces, & num unum aut alterum, aut nullum præstet animadvertendum, deque his sincere judicandum:

Quod si igitur primo aliqvantulum ardentis Urinæ fuerit fumus cœruleus, designat dolores capitis & gravedines ejus vehementes à vaporibus ex inferioribus partibus ad Cerebrum exurgentibus, ibidemque postea condensatis & ad subjacentes partes cadentibus: unde fiunt Ophthalmia, surditas, uvulæ casus, tonsillarum inflammationes, angina, tussis, asthma, pleuritis, peripneumonia.

Si flamma fuerit instar Mercurij vivi, designat inflammationem hepatis vel renum aliosque calores

præ-

Præternaturales, totum corpus infestantes, tales ſunt febres tùm ventriculi, tùm hepatis & renum.

Si neque fumus neque flamma conſpicitur, ſed urina ſenſim evaporando poſt ſe fæces albicantes reliquerit, morbus haut magnus aut difficilis judicatur; imo de ſalute ipſius patientis pronuntiationem certam & firmam pollicentur.

Si ſimul ardendo fumum emittit, ac inſuper fæces albicantes relinquit, deſignat quidem morbum duplicatum, & cum multâ ſymptomatum ſyndrome conjunctum, quia verò ſubſidentis albicans reſidua fuerit, de felice ſanitatis redituræ proventu non dubitandum, balſamum enim vitæ nondum plane corruptioni obnoxium eſſe probat; nihilominus his ſignis denotantur febres acutæ ſeu Cauſones & malignæ peſtis intoxicationes aliaque gravia incommoda.

Si

Si neque flamma, neque fumus, neqve ullæ fæces, aut admodum nigræ & lividæ in lamina cuprea relictæ fuerint, certissimum mortis, vel imminentis vel cito superventuræ testimonium præfert.

Horum omnium Causæ non ita obscuræ sunt intentius consideranti, ne quis fortuito & sine ratione inventa & instituta existimet, quas tamen brevitatis studio nunc sponte prætermittimus.

EXPERIMENTALIS ratio comprehendit observationes quasdam & experimenta, de interna constitutione & affectionibus quibusdam certis, ex quibus aliquas huc ordine adducemus:

Primum ergo, si quis cognoscere velit: *An in sterili matrimonio culpa sit penes virum aut fæminam?* ejusmodi rationem ineundam esse statuunt Petrus Bayrus & Conradus Cünrad: Accipe inquiunt duo vasa.

p. 427.

med. de- *st. p.* 102.

vasa fictilia signata, ut unum ab altero dignosci possit: utrique impone hordeum: Vir calidè mingat in unum, mulier in alterum; dimittantur in loco frigido per dies duodecim: culpa in eum referenda, cujus hordeum non germinaverit.

Vel sumatur furfur frumenti & in duo vasa fictilia indatur, uterque in distincta illa mingat: quæ probè munita 9. aut 10. dieb. loco aliquo stent imota, qvo tempore exacto, in cujus vasculo furfur fœtidum, vermesque reperientur is sterilitatis causam intra se fovet: qvod si autem nihil tale, in utroque observetur, ijs idoneis remedijs suppetiæ ferri possunt.

Contrario experimento fæcunditatem explorare docet Fernelius; videl. sulphure vivo urinæ insperso, ex quo si vermes prodeant, fæcunditatem significari, sin minus, sterilitatem esse. *Pathol. l.6.c.17.*

Omni-

Omnium façillima est hæc ratio, quam nonnulli tradunt: Urinam mulieris effunde super malvam sylvestrem, si illa tertio die exaruerit, mulier ad concipiendum idonea non est.

in Wil. pag. 4. cap. 32. II. *An Mulier sit gravida?* Reusnerus meminit talis experimenti: Urinam mulieris triduo in vitro conclusam obstrue, & tempore elapso per sindonem purum destilla, & si concepit minuta animalcula, pediculorum instar apparent. Aliud proponit Wekerus: Urinæ mulieris pelvi æneæ exceptæ, per noctem tersissima acus imponatur: *de Secret. p. 176.* hæc si mulier conceperit, manè rubeis erit tincta maculis: si non, nigra erit & æruginosa.

p. 435. III. *An masculum conceperit, vel fœminam?* Hoc ita cognoscere docet Petrus Bayr: Fac, inquit, duas in terra foveas, in unam pone triticum, in aliam hordeum; in utramq;

im-

immitte de Urina prægnantis, cooperienda cum terra: si primo germinaverit triticum, pariet filium; si verò hordeum, fæmellam concepit. Hic intermittere non possum, quin aliam ejus rationem subtexam, etsi non ex urina desumtam. Pulvis aristolochiæ cum melle subigitur, quo lumbi cum genitalibus perunguntur: hinc, si prægnantis sputum dulce fuerit, masculum gestat; sin amarum, fæmellam.

IV. *Vtrum quis Elephantiasi correptus sit?* Id juxta Weckerum ex urina ita dignoscitur. Cineres plumbi usti urinæ ejus adsperguntur, qvi si subsident, nullum est contagium: sin fluitant & in Urinæ hærent superficie certæ labis signum præbent. p. 129.

V. *Vtrum quis intoxicatus sit?* Urina ejus in olla nova ad ignem coquitur, quæ si ebullierit, liber erit à veneficio, sin minus, eo correptus est,

eſt, ut habet Conrad Cunrad Medul. deſtil. p. 204.

VI. *An quis peſte correptus morietur?* Prolixius ejus exquirendi rationem exponit Reusnerus, ſumma eſt hæc: Urina infecti in matulam mundam infunditur, in quam guttula lactis muliebris puellum lactantis injicitur; ſi lac recta ſupernatat, æger ſanitatem priſtinam ſtatim recuperat: ſin mediũ matulæ locum occupat, non quidem ſtatim reſtituitur, ſed poſt aliquod tempus, ſi autem ad fundum deſcendit, vita quoque in fundo eſt, & mors ægro portenditur.

VII. *An æger in morbo ſuccumbet?* Hac de re ita Weckerus ex Mizaldo: Tradunt urticam horis 42. in lotio decumbentis maceratam ejus ſtatum præſagire: Salutem quidem, ſi eadem viridis ibidem perſtet; ſin minus, mortem vel ingens periculum.

p. 128.

VIII. *An*

VIII. *An ægrotus adhuc eo menſe, quo decubuit morietur?* Ejus probationem talem deſcribit Conradus Cunrad: Immitte Urinam patientis in vas vitreum, idque agita, donec urina ſpumam concipat, deinde auriſcalpio oſſeo ex aure cerimen extrahe & ſpumæ illi ad urinam uſq; impone, ſi ſpuma illa ſtatim ſeparabitur & evaneſcet, ægrotus adhuc illo menſe ſuperſtes permanebit: ſi verò ſpuma integra perſeverat, morietur illo menſe: & hoc ſignum ſæpè experientia confirmatum perhibetur.


IX. *An quis interna eâq; occultâ Hepatis & Pulmonum corruptione laboret?* Si cui contigat cibum averſari malaque iſta pertimeſcat, id ita explorabit: Urina ejus in patinam furfure triticea repletam immittitur, agitatur & miſcetur, per noctē in loco aliquo relinquitur; quod ſi vitio dictarū partium laboret, vermibus

mibus repletum reperitur furfur. Atque hæc etiam de Ratione pronuntiandi prædicendique ex Urinis nunc dicta sufficiant.

Quare jam totius hujus Opusculi

hic TERMINUS esto.

ARCHIATRO SUMMO DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO sit Honor & Gratiarum Actio.




CÆSARIS ODONI
BONONIENSIS
Olim Medici Excellentissimi

De


URINARUM
Differentiis, Causis & Iudiciis brevissima & clarissima Methodus.


LIBELLUS POSTHUMUS

Nunc primum editus.



ANNO M. DC. LVIII.





Viro Clarissimo

DN. VALENTINO
HENRICO VOGLERO,
Philos. & Medic. Doctori,
hujusq; in Incluta Acadamia Julia Professori Ordinario.

Odonum hunc memoriæ & amicitiæ caussa consecrat

SEBAST. SCHEFFERUS
D.



Benevolo Lectori
SEBASTIANUS SCHEFFERUS D.
S. P. D.



Rinam, lector benevole, primariam esse Semeioтices partem, nonnulli nostro seculo contendunt; utpote cujus tanta ad hanc rectè inspiciendam virtus habetur, ut de toto morbo, & eventu ejus se certi quid divinare posse multi arbitrentur. Quod verò hanc doctrinam attinet, post Hippocratem & Galenum, qui nonnulla sed admodum pauca ex ea collegerunt, seculo demum quinto Palladius Iatrosophista Alexandrinus solito magis eam excolere cœpit. Post illa inspectio hæc paulatim magis magisque inolevit usq; ad seculum duodecimum, procurantitibus Medicis Arabibus, Latinis, Barbaris

& Græcis, cumprimis Actuario, immò tantum incrementum sumpsit, ut res ad summam pervenerit stultitiam quemadmodum ejusmodi varia occurrunt apud Rhenanum lib. Vrocriterij Chymiatrici. *Verum superiori seculo à nonnullis Medicis præclaris deprehensum fuit, multum fallaciæ huic divinationi inesse, ideoq; & artificium hoc egregiis libris impugnari cœpit à Petro Foresto, Ioanne Langio, Euricio Cordo, Raymundo Minderero &c. Non tamen negandum posse interdum quædam ex urinis colligi, quæ partium quarundam affectus sic satis manifeste produ͂t. Ideoque quid revera ex illis peti possit, etiam optimi Medici est docere. Quo in genere multum heic prosunt Iodoci Willichij, Hieronymi Reusneri & Henrici Martini animadversiones & libri de urina, cumprimis vero hæc CÆSARIS ODONI* Bononiensis *olim Medici excellentissimi epitome, perbrevi & eleganti methodo universam urinarum doctrinam complectens, quæ utut ab Auctore superioris seculi anno sexagesimo octavo prælecta, & ab ejus discipulo D. Ioanne Friderico*

Tra-

Trauelmanno, post Archiepiscopi Moguntini physico aulico excepta, ex bibliotheca nostra nunc primum prodit. Verum enim vero dubitandum non est, multa ex sudoribus & alvi excrementis æque colligi posse. Cæterum quum alia signa satis multa in promptu sint, ex quibus morbi natura clare cognosci possit, ad elegantiam Medici omnino pertinet, ad sordida illa nequaquam temere recurrere, adeoq; ne quidem urinarum inspectioni facile se dedere, nisi summa demum exigente necessitate. Ideoque de hac pessima consuetudine exstirpanda ex BRU*none* Seidelio *tradidimus* introduct. in artem Medicam cap. VI. *Fatendum sane est nonnullos ex infima præsertim plebe, cumprimis vero ex perfidis nostris Iudæis leviter tantum inspecta urina, multa eaq; mira & quæ fidem pœne superant, posse divinare. Verum certum est, aut fucum illos Vromantes facere, aut vero magicis artibus non minus esse instructos, quam qui ex solo hominis aspectu vel manûs inspectione præterita vel futura edisserere norunt. De quibus plura* l. c. §. 8. *Et sane passim hodie in*

tanta sunt existimatione, ut Christianis Medicis viris probis & doctis sæpenumero anteferantur, neq; solum ab imperita plebe, sed etiam ab illis, qui scelera illorum justa animadversione prosequi debebant. Hinc deplorare magis, quam emendare seculi nostri miserias nobis recte conceditur cum Cratone & celeberrimo D. Conringio nostro,

Monstra hominum. Placuere tamen.
Prope numina visa.
Sectaturq; duces credula turba suos.
Discite magniloquûm cauti diffidere dictis,
Pelle sub Urinæ sæpè aconita cubant.

CÆS.

312

CÆSARIS ODONI
De
Vrinarum Differentijs, Causis, & Judicijs brevissima & clarissima methodus.

TRia sunt in urinis maxime consideranda, primum quidem exactè earum doctrinæ, deindè à quibus efficiantúr caussis, tertio quid unaquaque illarum denotet, atq; portendat circa ægritudinem vel sanitatem, quod ut distinctius exequamur positis prius quibusdam conditionibus necessario requisitis ad urinam exactam tractationem de ipsis per tabulas quasdam distinctissimas brevissime regulas trademus, in quibus etsi cum omnia, quæ in longo & difficili hoc negotio ab alijs scribuntur, adducamus. facile tamen quæ his desiderantur poterit quivis & mediocris ingenij, si nostrum spectàverit ordinem ad has veluti ad proprias sedes redigere.

Conditiones à Medico in urinarum cognitione ſpectandæ ſumuntur à nomine, vel enim ſumuntur

I. ex parte ægri & eſt
- Ætas
- Sexus
- Temperatura
- Mores.

II. ex parte Medici ut eſt
- Tempus collectionis
- Locus in quo inſpicienda eſt
- Matula ſeu vas in quod colligatur

III. ex parte eorum quæ exterius advenire poſſunt
- Regio
- Anni tempus.

I. *Ætas* quidem inſpicienda, quia alia eſt puerorum, alia ſenum, juvenum, & & diverſum doctis judicium eſt ferendum.

II. *Sexus*

II. *Sexus*, quia fæminæ differt à viri urina

III. *Temperatura*, præterquam pro ut variat urina variari apta

IV. *Mores* item & Consuetudo mirum in modum urinam variant, aliam enim desides, aliam exercitati urinam habent.

V. *Medicus* ad hæc tempus spectet collectionis locum & vas

VI. *Tempus* quidem, ut non colligatur nisi tempore absoluto coctionis, neque per partes fractas inspiciatur, vidēdo etiam ut monet princeps 2. primi summa 2. post horam micta, nec ultra 6. horas servata.

VII. Vas etiam angulosum non sit nec minus latum ne reflexione angulorum urinæ inspectionem impediat, sitq; longum & rotundum, ut in ea contenta in unum coacta facilius respiciantur, videat eam Medicus prope, nam urina hoc præ cæteris liquoribus habet, quod eminus inspecta clarior apparet, cominus verò contra.

Quæ vero exterius faciunt considerationem, duo sunt Regio & Anni tempus.

Regio, qvæ variat urinarum judicium pro ut vel frigida, vel calida, vel humida, vel sicca est, alia enim spectatur in Germanis, exempli causa, alia in Africanis; & sic de cæteris.

Anni vero tempus pro qualitatibus; quibus tempus aspicitur, urinam variat, quorum omnium distinctorum hanc distinctam tabellam accipite *

His sic notatis conditionibus & supposito tanquam regula illa Policleti corpore, de quo sumus laturi rectum judicium juvenis temperati, in regione & tempore anni temperato & bono utenti regimine dicimus circa hoc ipsum corpus, nos debere exerceri comparando alias urinas urinæ hominis hoc modo constituti, atq; illas considerando penes materiam & penes formam. Materiam quidem hoc est penes modum substantiæ, quantitatem, perspicuitatem, odorem, permanentiam & colorem. Forma vero vel secundum situm vel urinam, substantiam, ut infra in tabella distinctissimè apparebit. Urina igitur quæ nihil aliud est, secundum Hipp. *de morbis vulgarib.* 3. sicuti dicebat Gal. 1. *de Crisibus cap.* 12. si ad eam alia debent referri, sit substantia nec crassa nec tenuis, colore subflava, cum hypostasi alba, levi & æquali, non malè olens, non difficulter micta, hæc cujus coctionis sit excrementum ab eodem Galeno accipite dicente quod in corpore nostro ut nutritio celebretur hæ fiunt operationes.

Prima coctio in ventriculo & intestinis, per superna habet excrementa mucos, per inferna dejectiones & fæces. In venis præterea mesaraicis & hepate, secunda fit concoctio, in qua à natura duo excernuntur, prima excrementabilis ad vesicam fellis & crassior pars sanguinis ad lienem, serositas verò sanguinis ad renes & ad vesicam, non quidem statim separata, ut illa duo priora excrementa & massa sanguinea, ne propter venarum angustiam hepatis sanguis sicut crassior, illa non ita fluidus repleret. In ultima vero coactione fiunt pro excrementis sudores & insensibiles transpirationes, quæ fiunt per venas & arterias, & hæc breviter pro intellectu hujus secundæ tabulæ.

Considerata igitur urina, ut subjectum constabit ex materia & forma, materia cui accidunt 7. nempe substantia, modus, qui vel tenuis & crassus erit, vel mediocris; Perspicuitas clara, fusca, mediocris, Odor bene olens, fætidus & mediocris: Permanentia diu, permanens statim

ſtatim immutato vel medio modo, modus facilis & mediocris, & poſtremò Color, cujus doctrinas mox in tabellæ depingemus, addemus ſingulis ſpeciebus ſingulos & proprios colores, ſimilitudines eorum, cauſas, deinde à quibus generatur, & tandem judicia & ſignificata. Nunc ad reliquam ſubjecti partem, quæ forma quodammodo illarum eſt earuntque contenta conſiderata vel ſecundum ſitum qui vel ſupra erit, idque vel pingue ut araneæ in tota ſuperficie, vel in parte, ut lachrymæ bullæ in circulo ut corona, vel in toto ut ſpuma. Infra verò erunt in parte matulæ 1. ſunt matulæ vel in 2. quæ appellabuntur ſublimia vel ſuſpenſa, vel in tertia, quæ ὑπόστασις dicitur, vel in quarta, vel in ultima quæ dicitur ſedimentum à nonnullis, quod ab hypoſtaſi ſeu ſubſtantia differat, ut dicemus. Forma vero ſubſtantiarum contentarum in urina erunt vel atoma ut corpuſcula in ſole, vel capilli à renibus & veſica reciſi: vel arenulæ à renibus, vel grumi ſanguinis ab ulcere, in aliquo vaſe, vel

lapilli

lapilli à renibus, similiter vel pus ab ulcere in vijs, vel abscessu ex interiore loco, vel semen à vasis spermaticis, vel farina à calore, in febribus colliquato, partes solidas, vel laminæ ab eodẽ intentius urente, vel furfur ab intensissima urẽte febre. Urinæ contenta sint alba, lenia & æqualia, non excedentia nec qualitate, nec quantitate, nec modo substantiæ sanorum urinas; atque sunt comparanda omnia contenta subscripta ut ad regulam Policleti.

Nomina

Nomina	*Caussa*	*Indicia*
Aranea	à moderato calore	optimam ſanitatem
Pinguedo	à tenui caliditate intenſa	conſumptionem & tabem
Lachrymæ	à ſpiritu contento	Renum colliquationem
Bullæ	ab eodem ſpiritu agitato & fracto	Materiam flatuoſam
Spuma	à ſpiritu elato	Agitationem in humoribus
Corona	ab elevato calore	Capitis dolorem vel calorem
Nebulæ	Bonum in contentis malis materiam in ſuperioribus. Malum in contentis malis.	
Encorema	à calore nondum refrigerato	Concoctionem & materiam in media corporis parte

ὑπόϛασις

ὑπόστασις Sedimentum	à temperato calore si est laudabilis; à semine & humore putrefacto	manifestam concoctionem & mala in malis. Ulcus in renibus vel vesica, vel abscessum, vel laxationem vaporum.
Nomina	*Causæ*	*Prognostica*
Atoma	à caliditate non perfectè concoquente, vel ab urente	Sanitatem nisi colliquationem ut in tabidis
Capilli	à rene male affecto	Renes affectos.
Grumi	ab ulcere in renibus	Renum vel viarum ulcera.
Arenæ	à calida renum intemperie	Nephritim morbum vel esse vel fore.

Ab Urina.

rum contentis.

Lapilli	à caliditate eadem cum materia crassa	Lap[illegible]us vel in vesica
Semen	à nimia frigiditate vel caliditate, lædente vasa spermatica	Relaxationem vasorum & corruptionis seminis.
Pus	ab abscessu	
Farina	à caliditate vigente, urente partes solidas.	mortem vel morbum longissimum futurum in febribus.
Squamæ	à forti caliditate consumente solidiores partes, ut scabiem	mortem & tabem vel scabiem vesicæ
Furfur	ab ardentissimo calore urente, vel scabie in vesica	mortem & liquationem solidarum partium, scabiem vesicæ.

Omnia

Omnia autem hæc contenta suscipiunt easdem passiones quas & urinæ suscipiunt, aquositas nempe substantiæ modum, quantitatem, perspicuitatem odorem, permanentiam, & calorem.

Verum in contentis omnia hæc pro ut illa etiam habent sibi proprias considerationes; non alteri communes, & sunt num.4. nempe quis sit Locus, in matula à contentis occupatus. 2. situs partium penes congregationem & disgregationem. 3. modus adhæsionis penes facilem & difficilem dissolutionem. 4. Multiplicitas & deformitas matericrum contentarum; Quare & his perpetuo observanda quædam circa contentorum considerationem occurrunt, quorum primum est respectu loci.

I. Si contenta malis qualitatibus affecta fundum contineat malum ingens & maximam rebellionem & cruditatem portendunt, cujus contrarium contingit in bonis, nam quo clariora contenta sunt, minorem bonitatem denunciant, non enim suspensa & nebulæ elevantur nisi nimio spiritu, à superflua humiditate

genita

genita, si vero contenta mala elevatur, tutius malum indicat, & minorem materiæ rebellionem.

II. Si disgregata sint, ac per hoc aspera apparent, malum ex eo portendunt, quia non æqualem & validam indicant virtutem, sed materiæ inobedientiam

III. Si contenta mala aliqua qualitate affecta in fundo tenacius hærent, nec si ea concutiens moveas disgregantur, sed invicem veluti conglutinata contineantur, malum ingens portendunt.

IV. Si multiplicata & deformia sint contenta, multiplices & deformes morbi causas & complicatas significant, ac præterea difficilem, longam, ac periculo non vacantem.

Hæc brevissime de considerationibus tum ex parte serositatis sanguinis, tum ex parte contentorum, tum ex his quæ istis accidunt passionibus.

Nunc quoniam secundum Gal. 2. *prog.* de ijs judicium ferre possumus ex urinis, qui in genere venoso existunt morbi, ut in febriculosis morbis, &

& quidem principaliter tempore crisium nunc dicendi finem faciam, ne brevis hæc tractatio compendij & brevitatis nomine minime destituatur.

Quandóquidem in morbis particularibus aliæ considerantur urinæ, non prout illius morbi sunt urinæ, judicium de seipsis ferre valent per se, sed per accidens, quatenus cum illis affectibus conjunguntur, ut cum genere venoso symbolum habent, urinis igitur particularibus relictis hac paucula dixisse ex meorum discipulorum usu futurum censui

Τελος.





paucitate


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

320

